steterat: neque ad ita absolutam gratiarum, sanctitatis, & meritorum nuditatem rediget, ac si numquam iisdem ornatus fuisses: *Si avertere se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quæ fecerat, non recordabuntur*. Ezech. 18. Bone Deus! Quam mira desolatio, quam terribilis vastitas! Ut apertiorem, æquioremque hujus ideam concipias, finge tibi hominem, qui solum ab infantia sanctam, & irreprehensibilem duxit vitam, sed qui in singula momenta in omni virtutum genere progressus est; hominem, in quo Deus præstantissimas, quas in Sanctis omnibus partitus est, collegerit gratias, & qui infinita merita fuerit adeptus. Hic si unicum lethale peccatum commiserit, statim ex hoc sublimi decidit statu, sed bonis omnibus exutus, omnibus meritis, spiritualibusque divitiis spoliatur. Unicum pravum desiderium voluntarium simul omnem annihilat fructum precum, jejuniorum, eleemosynarum, omniumque operum charitatis, & pœnitentiæ. *La Font, in Ecclesiasticis discursibus pro Dominica 23. post Pentecosten.*

Peccati nequitia non satis cognoscitur.

Nemo peccatum committeret, si illud perfecte cognosceret. Satis est illud perfecte cognoscere, ut illud infinito odio persequaris. Sed ut perfecte peccatum agnoscas, Deus perfecte cognoscendus esset. Dei magnitudo sola mensura est magnitudinis nequitiæ peccati. Etenim quemadmodum Deus summum est bonum, peccatum summum est malum; neque majori amore Deus dignus est, quam odio dignum sit peccatum. Ita Deus peccatum tantum odit, quantum amat seipsum, & rationes eædem, quæ Deum cogunt, ut seipsum amet, illum cogunt, ut peccatum oderit, tamquam sibi infinite oppositum. Nonne eædem, & mihi rationes sunt Deum diligendi? nonne eædem odio persequendi peccatum? *P. Nepveu tom. 1. Conciuncularum die 4. Januarii.*

Quid inspirare potest Deo odium hoc æternum, necessarium, infinitum, quo peccatum persequitur; nisi iram huic odio parem, cupiditatem sese ulciscendi æternam, necessariam, infinitam? Et ita hoc odio animata, & infinitæ potestati innixa quousque ultiones suas ferre debet? Et odium hæc non metuimus? Et non odimus peccatum, quod nos objicit terribilibus effectibus iræ omnipotentis? Et illud non evitamus? Immo illud diligimus, & quotidie patramus? O summam cæcitatem! Et sane nonne hoc est nosmetipsos odisse, non odisse peccatum, quod Deus infinite odit, & quod nosmetipsos efficit objectum odii ipsius, atque terribilium ultionum ejus. *Idem.*

Ultio, quam de mortali peccato sumit Deus.

Cœlum, & infernus conspirant, ut nobis ostendit odium, quo Deus peccatum persequitur, per ultionem, quam toties contra illud exercuit: cœlum quidem eo modo, quo rebelles Angelos puniit, infernus vero tormentis, quibus propter unicum mortale scelus tot miseros excruciavit. Innumera fere multitudo creaturarum perfectissimarum, quæ in infernum prolapsæ sunt, hoc est in infinitam, æternamque Infelicitatem æternis ignibus damnatæ a Deo infinite justo, & infinite misericordi pro uno tantum crimine, pro una vanitatis culpa, pro uno cogitationis peccato, pro unius momenti crimine, melius quam quælibet argumenta nobis ostendunt, quid est Deus, & quid peccatum, quo læditur Deus. Quæ igitur cæcitas mea est, qui tanta cum facilitate pecco, idque meæ tribuo felicitati! Deus justus peccatum punire non potest ultra quam illud meretur: Deus misericors semper illud minus punit, quam meretur, & nihilominus illud punit inferno. Hinc judicium est, peccatum quid sit. Sed credendum ne est, peccati naturam mutari, quod in nobis est? Deum ipsum mutasse sententiam de peccato, atque minus quam olim illud odisse? Peccatum nonne semper idem est? Deus nonne semper idem, semper infinite Sanctus, semper infinite peccato oppositus? Credimusne, quod plura peccata commisimus, quam Angeli; quod ex ea ratione, qua illorum peccatum puniit, intelligere debuimus, quantum Deus oderit crimen; quod Deum morientem vidimus pro nobis; quod tempus, ac potestatem pœnitentiam agendi habuimus, quod Angelis negatum fuit; credimus tandem, quod magis viles sumus, pluribus fœdati sceleribus, ac plurium debitores gratiarum, quam Angeli, illum nobis indulgentiorem futurum? *Idem Consideratione pro quinta die Martii.*

Mortale peccatum summi est malii.

Peccatum summum est malum, quoniam essentialiter summo bono oppositum est; possum autem non odisse odio summo malum summum? Hoc summum mihi constituere possum bonum, quod feci, quotiescumque ex creato bono extremum finem meum feci? videlicet quotiescumque lethale peccatum paravi. Possemne peccatum committere, si illud committens cogitarem me facere malum Deo, qui omnia bonorum mihi contulit genera, qui singulis adhuc momentis confert, & longe majora conferret, nisi memet illis opponerem? . . . . . Ad hæc peccatum unicum malum est, quod essentialiter oppositum sit Deo, & cui Deus necessario oppositus sit: pati potest Deus alia mala, illa amare potest, quandoquidem fecit ea, & nihil odit eorum, quæ fecit: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*. Sapient. 11. Ilia mutare potest in bona: illis etiam se subjicere potest, quod fecit, cum factus est homo; sed peccatum non odisse non potest, & Deus esse cesset, si cessare posset odisse peccatum. Ego autem vellem, illum non odisse peccatum meum, vel sinere hoc impune: videlicet vellem, illum neque sanctum, neque justum esse, hoc est non esse Deum. Crediditne me adeo horribilis impietas esse reum, cum mortale peccatum committerem? *Idem Considerationem pro die tertia Martii.*

A peccato ne minimis quidem nobilissimi cavendum, infinitæ minus mala metuit.

Ubi minora mala nobis impendent, statim perturbamur; nihilque intentatum relinquimus, ut effugiamus illa: undenam ergo hæc tanta tranquillitas, qua adeo parum malum infinitum reformidamus, adeo parum adlaboramus illud evitaturi, nisi quod infinite cæci sumus? Etenim heu! Si cæci non essemus, peccatum metueremus magis, quam omnia mundi mala, magis quam mortem, magis quam ipsum infernum. Infernus enim, ex quo nonnisi creaturæ malum est, minus malum est peccato, quod malum est Creatoris. Maximum inferni malum peccatum est Sancti, qui Deum cognoscunt, qui cognoscunt quid sit peccatum, hac in re non hærent, si alterutrum esset eligendum. *Idem.*

Non satis cognoscitur malitia, quod culpa gignit.

Sanctæ dumtaxat, justæque animæ bene cognoscere possunt quanta calamitas sit Deum amittere, atque per peccatum abejus gratia excidere: quemadmodum enim gratia effundit lumina, quæ efficiunt, ut inæstimabile hujus thesauri pretium agnoscatur ab animabus, quæ possident illum, ita peccatum secum fert densissimas tenebras, quæ peccatoribus tegunt infinitum bonum, quod per illud amittunt. Ita ut si nulli prævenientis gratiæ radii affulgerent in nocte, in qua peccatrix anima insepulta est, fieri non posset, ut videret terribilem abyssum, in quam lapsa est. Ita sæpe videntur Dei servi ob levia aliquot errata afflictari, per quæ a Deo paulum recedunt, quin tamen ab eo separentur, cum interim infignes peccatores sine conscientiæ stimulis vitam ducunt, quæ juge peccatum vocari potest, quemadmodum illam Sanctus Petrus in 2. Epistol. cap. 2. appellat; *incessabilis delicti*: Dormiunt, rident, ludunt, sese voluptatibus abdunt, donec in eo statu versantur, qui secum trahit æternam a Deo separationem. *Specimen sermonum pro Dominicali, tom. 1. prima post Epiphaniam Dominica.*

Dei mors efficit, ut peccati nequitiam & gravitatem agnoscamus.

Nihil aptius ostendere nobis potest, quantum invisum Deo sit peccatum, quam scire, hunc eumdem Deum mori voluisse in Cruce, ut peccatum expiaret. Quis exclamare non debet ad conspectum stupendi hujus spectaculi, Dei videlicet cruci affixi, ut ibi secum monstrum hoc crucifigeret: quis inquam cum Propheta Psalm. 18. exclamare non debet: *Delicta quis intelligit?* Quis bene cognoscit, quid peccatum sit? quis captum habet, qui necessarius est, ut peccati nequitiam funditus, & quam late patet, cognoscat? Hujus aliquam mihi videor concipere ideam, Domine, cum doceor fide, illud a te in inferno flammarum æternitate puniri; sed longe clarius intelligo, ubi cogito morientem Deum, ut peccato inferat mortem. Si magnum hoc objectum oculis fidei intueremur, conciperemus partem nequitiæ, quæ in peccato continetur, quandoquidem adeo gravem exigit satisfactionem. Heu! ut in ora abyssi, in quam vestri vos detrahunt affectus, vos contineam, non loquor de inferno, de æternitate, de judicio, vobis offero Deum vestrum in Cruce mortuum, & sanguinis sui voce clamantem: ecce quæ passus sum, ut hanc injustitiam, detractionem, furtum explarem. Peccator ne speres, te coram Deo excusatum iri dicentem, criminum tuorum enormitatem tibi non fuisse perspectam: num illam ignorare poteras, postquam toties prædicari audiveras Deum pro eorum expiatione mortuum in Cruce? Frustra ad examen revocare vellemus, cur Deus, qui poterat peccata dimittere sine tanto hoc holocausto, poposcisset tamen insignem hanc reparationem: satis nobis esse debet, scire judicia illius sapientiam ipsam esse, & æquitatem. Ita quandoquidem Pater Æternus voluit, Filium suum mori, sapientia, & justitia illius flagitabant, ut ita moreretur. Nihil ultra requiritur, ut intelligamus in peccato esse nequi-

quitiam, quam penetrare non possumus, etiamsi seculis omnibus meditemur. *Idem.*

Christianorum peccata graviora sunt, quam Ethnicorum.

Si Sanctus Paulus in Epistola ad Romanos jure dixit, Ethnicos in impietate sua non esse excusabiles, quia licet nondum viva recepissent fidei lumina, poterant tamen pervenire ad cognitionem Dei per lumen rationis, & per creatarum rerum consideration em: quam excusationem efferre poterunt scelerum suorum Christiani; quoniam præter rationis lumina, quæ cum infidelibus habent communia, habent etiam lumina fidei, imbuti fuerunt veritatibus Evangelicis, atque tot receperunt gratias, ut illius dogmata in praxim redigere possent? Attamen inter nos easdem regnare videmus impietates, propter quas Ethnici infernis ignibus adjudicati fuerunt. Nonne igitur fatendum est, quemadmodum cognitio nostra major est, ita supplicium nostrum gravius futurum; & Christianorum dignitatem, quæ nobis esse deberet spei, gloriæque argumentum, causam esse nostri terroris; quia damnatio nostra minus esset austera, si baptismi gratia numquam ornati fuissemus? *Pean, tom. 2. dialogo item secundo.*

Peccatum est transgressio legis Dei, & rationis.

Quotiescumque mortaliter peccatis, legis vim sentitis. Vestram appello conscientiam. Dicite, quæso, antequam injustitiam, calumniam, impudicitiam aliquam committeretis, numquid legislatoris vocem non audistis? Quam elata erat! quam potens! quantum habebat ponderis, & auctoritatis! Hæc (S. Augustinus inquit) inter populos maxime barbaros, inter tumultum, & ignorantiam auditur; omnis homo, ipsa docente natura, illam cognoscere didicit. Hinc oritur metus, pavorque ante peccatum, hinc confusio, stimulique post peccatum, hinc tenebræ, quæ requiruntur, ut hominum oculis auferantur flagitia, quæ rationem averunt, & quæ patrare non erubescemus, nisi transgressionis turpitudinem sentiremus. Quid igitur peccator sentiens, ac intelligens legem, coactusque ab invisibili legislatore, qui in cordis imo loquitur? *Non serviam*, ait ille; licet manifestum sit præceptum, cujus vim agnosco, cujus sentio impressionem; licet urgeat imperium interioris Domini, ac magistri præcipientis, atque erudientis, imperium ipsum detrectabo; memet legi ipsius subtraham, jugum ejus excutiam: *Non serviam*. Duos intra me dominos, duasque leges sentio; legem Dei, quæ in ipsius rationis fundo impressa est, legem sensuum, vel mundi, cujus novi deformitatem. Dum deseram, non parebo: *Non serviam*, & ex duplici servitute, creaturæ servitutem anteferam. Hinc quidem injustus, & furens dominus, qui perditæ conscientiæ est, amicus cupidus, & avarus a me actionem exigunt iniquam, fraudulentam, nefariam, inde vero Deus major, ac tutior legislator efficit, ut contraria vox mei cordis auribus intonet: relinquam invisibilem Dominum, verum Dominum deseram, ac in rebellium partem concedam. Quæ injustitia! quæ insidelitas! *Ex manuscripto sermone.*

Ad hoc ut peccatum sit mortale requiritur formalis transgressio in re non exigui momenti.

Non satis est ad hoc, ut peccatum vere mortale sit, esse contra legem perfectam; opus est etiam, materiam, qua peccator abutitur, alicujus esse momenti, ut fiat objectum odii, æternamque pœnam mereatur. Ut hoc intelligatis, cum Sancto Augustino supponite id quod nihil involvit ch mericum, atque veritam meretur attentionem. Si Deus, quippe creaturæ suæ dominus, dixisset omnibus, quod olim Adæ: posui inter vos fructum suavissimum, cujus unicus aspectus vobis esse potest tentationis causa, & laqueus innocentiæ vestræ, attamen si noxiam ad illum tetenderitis manum, morietur anima vestra: *In quocumque die comederis, morte morieris*. Genes. 2. hoc est quotiescumque vel in re parvi momenti transgressi fueritis legem, quam irrogo vobis, auferam vitam animæ vestræ, gratiam, charitatem, quæ illam vivificat. Quid vobis dicendum esset, Auditores? numquid conqueri liceret de austeritate domini hoc præcipientis, & cum inutili servo clamare: *Homo austerus es*. Luc. 19. Dominus es nimis severus; omnia te irritant, omnia te ad indignationem provocant, levissimæ etiam transgressiones eadem severitate puniuntur. *Ex ore tuo te judico*: responderet arbiter æquitatis. Serve infidelis, & nequam; non aliam affero adversus te causam, nisi querelam tuam: *Sciebas, quia homo austerus sum*. Non ignorabas rigorem, cum quo a creaturis meis exigo obedientiam, tenebas, quid tibi lex mea præciperet, noveras pœnas, quæ illius imminent transgressioni: non obtemperasti mandato meo ea in re, quæ licet per se levis haberi possit, magna facta est jussu meo: rebellis prævaricator odium meum meritus es, omnesque odii mei effectus. Quid æquius? Verum est igitur, si Deus gravissimis propositis, pœnis levem aliquam rem fieri prohibuisset, nobis locus non esset Domini justitiam accusandi. Sed tibi infinitæ habeantur gratiæ, o Domine! infirmitatis nostræ rationem habere voluisti; operis tui fragilitatem cognovisti, utque pauciores haberes occasiones, propter quas me jure odisse, & punire possis, mortali peccato ea tantum imputari voluisti, quæ majoris essent momenti, & quæ vel cultum, quem tibi debemus, vel humanam læderent societatem. Dominus indignationem suam non adnectit ei rei, quæ per se nullo sit in discrimine; in nos illum irritant, atque extimulant ea, quæ per se aliquid habent turpe, & a ratione alienum. Dominus capitale scelus fieri non vult id, quod cultui suo, & recto civilis societatis ordini leviter obest. Ut mortalis peccati sim reus, utque æterno puniar supplicio, opus est, actionem, cogitationem, verba mea recta eo tendere, ubi perturbent ordinem, quem Creator in universo constituit, atque illius tollat concentum. Ita levis in Dei cultu negligentia non efficit me amore ejus indignum, quasi cor, & adorationem meam turpissimis idolis prostituissem. Ita irrisio brevis sine amaritudine non extinguit charitatem &c. *Idem.*

Peccator mortaliter peccata Dei timorem amittit.

Cum homo seipsum amet, ideoque inimicus sit earum rerum omnium, quæ sibi nocere possent, opus non habet, quod fidei oraculis doceatur formidare ultorem Deum, ac certa supplicia, natura in hoc religionis locum obtinente. Timor adeo profundas in anima ejus efficit impressiones, ut sæpe ibi eadem relinquat vestigia, eademque ibi excitet agitationes, ac ipsum malum. Attamen hic timor adeo naturalis, & efficax cedit corruptioni; & quantumvis in æternum peccator infelix futurus sit, cessare non vult, quominus pecceat. Nunquid hominem ipsum destruet peccatum, Christianum destruens; ac ipsius naturæ suffocabit instinctum, postquam gratiæ sensus extinxit? *Auct. Anonym.*

Qui cum majori cognitione peccant sunt nocentiores.

Verissimum est evangelii dogma, servum domini sui scientem voluntatem, neque facientem illam multo magis punitum iri. Pilatus nil minus contulit morti Salvatoris Mundi, quam Judas: e contra vero aliquid amplius contulit; quandoquidem mortis sententiam protulit, illum tortoribus tradidit, flagellis verberari, & tandem cruci jussit affigi. Attamen Salvator testatur, saltem hoc ex illius verbis conjicere possumus, Judæ peccatum gravius fuisse peccato Pilati. Cur autem? quia Judas divinum hunc noverat Salvatorem, ex illius discipulis erat, & ex Apostolis unus: doctrinam ejus audiverat, testis fuerat miraculorum non secus ac virtutum, & sanctitatis illius. Pilatus vero Ethnicus erat, qui hæc omnia ignorabat, ita ut ignorantia crimen ejus minueret, quemadmodum alterius cognitio scelus ejusdem augebat. *Auctor Anonymus.*

Omnis peccator, cum peccat, Deo rebellis est.

Quid agit peccator dum peccat? Vult sese subtrahere jugo gratiæ, ut se naturæ jugo subjiciat: mundi legibus, atque institutis adhæret, unde fit, quod se supremi legislatoris legibus subtrahit; subditus affectui, qui dominatur ipsi, Omnipotentis excutit jugum: solus rebellis legi Dei sui illam pro libidine aggreditur interpretari, & quoad voluerit laxare, illam accommodare sibi, atque suæ voluntati submittere. Apertius loquamur: illam repellit, contemnit, impugnat, destruit: *dissipaverunt legem suam*. Psalm. 118. Mundanus ait, nequeo memet subjicere tot officiis adeo molestis, & onerosis &c. *Alius Auctor Anonymus.*

Peccata nostra causa sunt malorum, quæ nobis immittit Deus.

Isaias propheta nos admonet, peccata nostra sæpe in nobis respondere: *respondebunt peccata nostra*: quod innuit, cum Deus nos affligit, atque in nos animadvertit, cum aliquod nobis accidit infortunium, vel temporalem aliquod detrimentum, peccata nostra nos intrinsecus admonere, se malorum causas fuisse: Cum petimus, ob quod malum nobis talis accidit casus, peccata nostra respondent, se nobis illud conflasse supplicium. Cum Dei filius percussit vendentes, & ementes in templo, id fecit, ex quo gravissimum eruere debemus documentum. Flagellum compegit ex funibus, quibus merces eorum erant alligatæ: *Cum fecisset flagellum, quasi de funiculis*. Joann. 2. Hoc mysterium est, Pater ille in Psalm. 130. inquit, quo docemur Deum nostris uti peccatis, atque criminum nostrorum instrumentis, ut nos plectat, & puniat: *Quia de peccatis suis homines vapulandi, ideo Dominus flagellum de funiculis negotiatorum fecit, & inde expulit de templo omnes, qui sua quærebant*. Propterea Rex Propheta inquit, peccatores propriis peccatis vinctos esse. Non quærant ergo neque in hominum improbitate, neque in fortunæ injustitia, neque in sortis mobilitate causas pœnarum, quas patiuntur, sed sua tantum accusent peccata. *Specimen Sermonum pro feria sexta hebdomadæ secundæ in Quadragesima.*

Anima per peccatum dedecoratur.

Peccatum dedecorat animam. Animæ ista, quam Philosophi particulam divinitatis vocarunt, quia non sedes ac Deus, operationes habet nobiles, egregias, incomprehensibiles: anima hæc, inquam, decidit nonnunquam ex alto hoc dignitatis gradu in eam conditionem, quæ a brutorum conditione non differt; ratio affecta excæcata non redit amplius, amittitur, non audit amplius consilia, nonnisi furenti modo, & per impetum quendam operatur. Peccatum nos magis efficit viles, quam inanimitas creaturæ, quæ nonnisi per hominis peccatum polluuntur, & in illas Deus neque iram fovet, neque ultionem exercet. Denique servus novus peccatum animum miseram facit, postquam dedecoravit illum, & quemadmodum sit iræ divinæ objectum, ita qui peccaverit, æternis suppliciis objicitur. *Ex tractatu quidam de Conscientia.*

Qui peccatū committit resistit gratiæ.

Resistemus, qui peccato obluctamur, antequam committamus illud, & ab illo superari patiamur, offendit, nobis esse gratiam, quæ fele illi opponit, & quæ nos ab eodem avertit. Ita peccatum tunc gravius est, quam cum occupatur, vel cum violenta tentatio non finit, nos eidem diligentius animum advertere. Tandem enim hæc resistentia cordis nutantis, antequam cadat, atque semet opponentis actioni, antequam illam producat, ostendit effectum nobis adhuc satis libertatis relinquere, ut detegamus periculum, ac videamus naturam actionis, quam commissuri sumus: indicio est, gratiam ingredi in cor, sed repelli, atque postquam deliberatum fuit, certum capi consilium; ac palam probat illud objectum, quod sequimur, præferri sollicitationibus Dei, ac tandem majori cum cognitione, & nequitia peccatum committi. *Idem.*

In mortali peccato affectus est contemptus Dei.

Nunquam Dei contemptus deest in peccato: etenim coram ipso, & sub oculis ejus id facimus, quod coram homine, immo coram decenni puero non faceremus: contemnimus bona, quæ offert, & his alia præferimus. Hæc quidem ex parte mundus, & dæmon sensibilia quædam nobis offerunt dona; ex altera vero Deus suam offert gratiam, & gloriam, benedictiones suas, atque coronas. Quamcumque ideam habere possit homo de bonis, quæ dæmon illi conferre vult, scit, durationem eorum ultra vitæ terminum non extendi; cum alia æterna sint: attamen præfert mundi voluptates, atque objecta sensibilia in omnibus, quæ Deus suavissima, & maxima promittere potest. Mutatis opus non est, ad hoc ut homo aliquis nobis persuadeat, se periculum, mortemque contemnere, cum videns gladium, quo prope est, ut confodiatur, ipse ultro procedit, ut illum capulo tenus pectore excipiat, quin ictum detorquere adnitatur. Peccator non ignorat, ultionem, & mortem subsequi culpam, audit Dei minas, & dubitare non potest, quo minus divinæ ultionis flagella in caput suum irruitura sint; & nihilofecius peccat, & in peccato perseverat: igitur Dei omnipotentis iram, ultionemque contemnit. *Idem.*

Peccator Deo rebellis est.

In peccato non deest contra Deum rebellio: confregerunt vincula mea, ajebat ille de Israelitis locutus. Rebellis non semper ait, se de throno deturbare velle principem suum, celat consilium, & facinus nimis odiosum dissimulat; sed cum leges ejus violat, ejus insignia, & simulacra profterait, & quin illi debitos adhibeat honores, sub hostilibus vexillis meret stipendia, rebellio jam manifesta est. Quid autem facit peccator peccatum committens? Pedibus summi Dominatoris leges calcat; imaginem illius deserpit, aut delet; cum contemptu gratiæ illius signa revellit, sequiturque afflatus dæmonis fallentis, ac decipientis. Quænam homini mortali insolentia! *Idem.*

Circumstitiæ, quæ Deo invisæ efficiunt peccatū mortale.

Cum horrore respicitur civis, qui principi suo totam debens fortunam suam, tamen contra ipsum rebellat; crimen vero duplo fit majus, si eum lædatur eadem adhibeat opes, eandemque auctoritatem, quam ab illo recepit. Homo, qui Dei creatura es, omnia illi debes, & quidquid habes ingenii, ac spiritus, contra eundem deponis. Ita pendemus a Deo, ut eo ipso temporis momento, quo eum lædimus, in ipso situm sit nos perdere; & nihilominus ab illo deficimus, illum offendimus. In ipso peccato aliquid est adhuc ipsa rebellione majus; odium videlicet contra Deum; quamobrem Deus inquit, se punitum iniquitatem eorum, qui ipsum oderunt. Non cogitatis, o peccatores, naturalem hunc criminis exitum; sed si paumper intenderitis animum, hujus animadversionis veritatem intelligetis. Qui peccat, cupit a Deo crimen suum non videri, immo etiam ab illo sæpe non videri putat. Igitur Deo, quantum in ipso est, præsentiam, quæ ubique adest, & quæ ex perfectionibus essentialibus ejus una est, rapit: vel saltem hoc momento ab illo non haberi cupit. Peccans desiderat, a Deo sceleus suum non puniri, sperat immo ab eodem puniendum non esse: Deo igitur aufert justitiam, & sanctitatem, vel saltem cupit, hunc nullam erga ipsum habere justitiam, hoc est velles Deum non esse amplius Deum. Quisnam major effectus odii? *Idem.*

Quid est anima in peccato mortali? Templum est profanatum, sanctuarium pollutum, sponsa adultera. Deus illam horret, abdicat possessionem ejus, quam adierat; non respicit amplius illam tanquam bonum, & hereditatem suam; verbo illam odit, & horret... Nihil est, quod intentatum reliquerit Deus, ut hominem a peccato, quod ipsi adeo invisum est, deterreret; promissiones, minas, gratiarum suarum thesauros, pallionem, vitam, & sanguinem suum, & nihilofecius eadem facilitate peccatum committitur, eoque commisso peccator in gravissima permanet stupiditate. *Auctor Anonymus.*

Quamopere Deus mortale peccatū perhorrescat.

Tyrannis, quā dæmon exercet in eos, qui peccato se mancipant.

Videte, Christiani, in odiosa Pharaonis tyrannide imperium, quod usurpavit dæmon super terram. In barbaro edicto, quo rex impius præceperat, ut quicunque mares ex Israelitis nascerentur, statim necarentur, conatus, quos exerit dæmon, ut in omnibus infelicibus fuditis suis jugulet omnia desideria, quæ illi concipere possunt, jugum illius excutiendi. In exterioribus plagis, quibus cum aula tota Princeps hic percussus fuit, deprehendite plagas invisibiles, quas peccatum infert animabus captivis suis. In omnibus primogenitis Ægypti ab Angelo exterminatore occisione deletis, detegite infelicem reprobationis, mortisque characterem, qua percussus fuit impius ille populus persecutor bonorum. In Moyse, qui in ipsis usque incunabulis ad necem conquirebatur, & miraculose in eadem Pharaonis aula servatus fuit, ut fieret populi sui liberator, quis non agnoscit Jesum Christum ab Herode exagitatum in ipso vitæ suæ limine, divina ope ex innocentum cæde salvum ereptum, in Ægypto eadem contra barbari regis furorem perfugium sibi quærentem? Sed in hoc eodem Moyse virga sua miris fluctus sibi aperiente, dum interim illum persequens Pharao una cum Ægyptiis omnibus profundis illis gurgitibus absorptus fuit, admiremur adhuc Moysem nostrum divinum liberatorem, qui ex universali peccati naufragio totum genus humanum eripuit. *Abbat du Jarry, Panegyrico S. Petri Nolasco.*

De animæ statu in peccato.

Vin' videre animæ statum in peccato? Finge tibi, Sanctus Augustinus ait, chaos illud antiquum, de quo in Genesi sermo est: quid erat mundus ab initio? *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Tristis, sed vera figura animæ in statu peccati. Terra est, Sanctus Augustinus ait, inanis, & vacua, quia nihil habet, atque ex se nihil habere potest. Terra est tenebrarum plena, atque caligine involuta, quia vero caret lumine, quia in omnibus facultatibus suis cæca est. Hic ille effectus est, quem parit peccatum. *Idem.*

Unū mortale peccatū omnibus bonis operibus prævalet.

In altera libræ lance statue, quæcumque bona opera cupis, in altera vero unum mortale peccatum per pœnitentiam non expiatum; hoc unum peccatum præponderabit, ac peccatorem in infernum dejiciet præcipitem. Mirum! sed quod extremum criminis horrorem nobis debet immittere. Si quis inveniatur, qui plures annos in aqua, & pane jejunavit, qui omnia bona sua pauperibus erogavit, qui plurimos infideles, hæreticosque ad fidem convertit, si post tot præclare facta uni mortali noxæ præbuat assensum, quidquid boni fecit, illum a Judicis Justitia non liberabit, sed morte, æternaque morte damnabitur. Judex supremus omnium bonorum operum, quæ mortalem hanc noxam præcesserint, vel subsecuta fuerint, se flecti non sinet. *P. Cuneau in Adventu, Sermone de triplici adventu Filii Dei.*

Peccatū mortale Deū petit, & quodammodo in nobis delet.

Verum est, Deum infinita essentiæ suæ altitudine ita elevatum esse, ut ad illum omnium creaturarum conatus accedere nequeant. Nihil illi reipsa nocere potest, eumque aggredi velle, eidem est ac imitari populos, qui contra Solem tela jaculabantur, ac Cœlo bellum inferebant. Sed quanquam Deus in semet imperturbabilis sit, verum nihilominus est, ipsum in existimatione nostra aliquid pati posse & in concepto nostro non habere id, quod ipsum in nobis constituere debet Deum cordis nostri. Cum enim jus habeat exigendi, ut illum agnoscamus, qualis est, eumque colamus super omnia, quæ extra illum sunt, atque habeamus illum pro objecto cultus nostri, ac veneationis, quæ uni illi debetur; possumus auferre eidem gloriam hanc, quam exigit a nobis, atque hoc pacto illum in nobismetipsis destruere, itaut verum sit dicere, illum non esse Deum in mente nostra, nosque eumdem nobis annihilasse idolum in locum ejus substituentes; quod fit per peccatum, & nequitiæ nostræ auget enormitatem. *P. Guilleminot lib. cui titulus: Sapientia Christiana, cap. 5.*

Peccatum & quædam virtutis actio reipsa extrinsecus similes sunt.

Externa peccati species sæpe a specie virtutis nil differt. Utraque actio est naturalis, humana, ordinaria. Homines duo illud ipsum agant; fieri non potest, ut qui hoc ex ambitione, vel cupiditate fecerit, distinguatur ab alio, qui ex generositate, & animi magnitudine operatur. Bonum male partum prorsus illi simile est, quod jure possidetur. Voluptas, quam objecti circumstantia legitimam facit, omnino illi par est, quam objecti mutatio nocentem reddit: verbo cupiditas, & charitas, quæ ex S. Augustini sententia duo sunt fontes, e quibus omnes actiones emanant, in rivulis, per quos fluunt, ita confundantur, ut nos ipsi intra nos aliquando illas vix distinguere valeamus. Actio igitur peccatum fit per oppositionem, quam habet cum Deo, cujus voluntas nobis expressa est in legibus, quas nobis irrogavit, & hoc utique illud est, quod non cognoscitur: oppositio hæc aliquid est intrinsecum, absconditum, & ab oculis nostris remotum. *Tiberge in recessu.*

Pravæ ideæ, quæ plerique e mundo de peccato concipiunt.

Inde veræ ideæ, quas de peceato fides nobis adstruit, tantopere immutantur, quia multas nobis pro-

cat, Dei misericordia illum temperet necesse est, eique confidentiæ, & amoris sensus adjiciat. Nimis vivo, & efficax aspectus peccati vitæ hujus statum in statum vitæ alterius converteret, ibique infernum, atque desperationem gigneret. Homo ferre non potest vel mediocris peccati intuitum, si omnem quam continet, deformitatem agnoscat; ita necesse est, ut Deus viribus nostris peccati accommodet cognitionem; neque aliam nobis tribuatur, nisi quam ferre possimus. *Essais de Morale tom. 5.*

Quē pe cat, suæ affectionis objectum Deū sibi facit.

Creatura sibi in Deum suæ affectionis objectum convertit; hoc S. Augustinus ait, qui probe illud norat. Scias, frater mi, quot sunt tibi vitia, & cupiditates, quibus indulges, tot te habere Deos, quos colis cum veri Dei contemptu. Ita te trahi finis, ira tuæ divinitatis objectum est: *Iratus es, ira tibi Deus.* Mulierem hanc deperis, libido tua, & hæc mulier tuum numen est: *Libido tibi Deus est.* Cur hoc? quia peccator idolum, ac Deum suum sibi facit, ex eo quod diligit, & habet in pretio: *Unusquisque enim quod cupit, & quod veneratur, hoc illi Deus est. Joly tom. 1.*

Peccator per mortale crimen quodammodo dæmonem præferit Deo.

Ut indignitas noxæ, quæ contra Deum committitur, magis innotescat, ita, mea quidem sententia, hoc in argumento possumus ratiocinari. Quotiescumque homo in occasione criminis committendi delibe-rat, hoc facit tanquam judex, & arbiter Deum inter, & dæmonem irreconciliabilem ejus inimicum, ut alterutri victoriam adjudicet. Altera enim ex parte legem suam Deus effulgere facit, filiumque suum repræsentat cruci affixum pro mundi salute, ut peccatorem ab infelici, quod concipit, consilio deterreat. Ex altera vero Dæmon ad vivum exhibet voluptatis illecebras, & valide illum sollicitat, ut sese eidem manciper, eum perditurus ab eodem consensum extorquens. Peccator autem per ignaviam se ab hoste superari sinens nonne palam declarat, se majori in pretio dæmonem habere, quam Deum; quandoquidem ultro a Dei partibus profugus in dæmonis partes concedit, & veluti supremus, & iniquus judex dæmoni litem adjudicat, cui se tradit, obsequens objecto, cui divinis, & humanis legibus, quas ignorare non potest interdictum est? . . . . Vel manu libram tenere videtur, in altera cujus lance Deum, paradisum, æternamque statui felicitatem, in altera vero fluxam, fragilemque voluntatem; atque hanc potius eligens non sine diviræ amicitiæ præjudicio, & juris illius, quod ad Cœli regnum obtinet; detrimento nonne palam ostendit, a se præferri voluptatem hanc, quæ momento pertransit, summæ felicitatis hæreditati? Quid fingi potest horribilius, indignius, supremæque majestati periculosius! *Sermo Manuscriptus.*

Peccatū mortale maximū est, solumque malum, quod sit in mundo.

Nunquam satis iterari, explicarique hæc veritas potest, mortale peccatum unicum esse malum, quod in mundo fit, & proprie loquendo, reliqua omnia vere mala non esse, quoniam nullam habent directam oppositionem supremo bono, & hujus vitæ mala, bonorum, valetudinis, honorisque jactura, infirmitates, languores, paupertas, pestis, fames, reipsa mala non sunt, quoniam in bonum possunt converti. Omnibus in locis adeo verum hoc resonet verbum: mortale peccatum solum est malum verum. Dicamus hoc in obscuris carceribus, ubi nocens languet, sua potius captivitate, quam crimine dolens; dicamus in familiis nostris, illud cum lacte filiorum cordibus instillemus, & hæc prima sint christianæ institutionis rudimenta. Nos ipsi, dum malis premimur, ea tempestate, qua omnia dolorem nobis adferunt, ubi nos omnia deserunt, dum instant persecutiones, dum opprimimur, calumniis urgemur, diripimur, nostrum ad solatium post omnia dicamus; mortale peccatum solum verum malum est; reliqua omnia fieri possunt gratia Dei mei in manibus eorum, qui illis noverint uti. *Sermo Manuscriptus.*

Peccatū causa est omnis supplicioru, quibus Deus homines punit.

Deus olim quæsivit ex Job, utrum illius thesauros vidisset: *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?* Et quin ejusdem responsum expectaret, hos illi ostendit, simulque ait; *hæc paravi in tempus hostis.* Job 38. Hæc ea sunt, quæ in illud paravi tempus, quo hostibus meis bellum illaturus sum. Illic armatam vides discordiam gladium, facemque ferentem: homines ipsi sibi hæc præparant flagella; sed illis mea utitur providentia ad superbas gentes puniendas, easque provincias, & regna, ubi politica ratio religionem suffocavit. Ibi vides sterilitatem post se famem, tetram, horribilemque desperationem trahentem; hac utar persecuturus populum meis beneficiis ingratum, meisque donis, ut me lædat, utentem. Hic pestem vides, quovis tempore adeo generis humani inimicam, quæ vix tot viventes relinquit, quot mortuos efferre possunt: ac depopulabor civitatem, ubi impune libido, blasphemia, & impietas grassantur. Illic vides diffidia, odia, simulatates, divortia; ea puniam, sed puniens illa, iisdem utar ad evertendam fortunam, requiem, existimationem familiarum perditarum, ubi nulla nisi cupiditatis, & voluptatis agnoscitur lex. Licet hæc omnia sint naturæ, affectuum, & improbitatis humanæ effecta, semper instru-

menta sunt, quibus divina utitur justitia peccatores in terris punitura, admirabilis providentiæ conflio vitium ad vitii ipsius pœnam, atque expiationem impendens. *Pater Aurelianensis, Sermone de Temporalibus peccari pœnis.*

In media aeris regione videmus coalescere nubes, micare fulmina, tonitrua murmurare, turbines bacchari, sevire fulmina, quarum rerum omnium origo a vaporibus, & exhalationibus oritur, quas terra mittit in cœlum, & cœlum in terram remittit. Ita cum videmus in caput nostrum tot mala ruere, famem, bellum, pestem, tot morbos, atque languores, quos patimur, & qui terram universam inundare videntur, credere profecto debemus, hæc a Deo, divinæque justitiæ manu esse profecta. Verum etiam nobis persuasum esse debet, crimina, & scelera nostra antea usque ad divinæ majestatis solium ascendisse, ut ultionem exposcerent, atque in tempestates, atque procellas contra nos converterentur. *Liber Anonymus.*

Ut verum dicam, solum peccatum populos miseros facit, quemadmodum Sapiens in Proverbiis testatur; quæso enim, quonam ex fonte emanarunt tot clades, quas Infideles peperere, tot Barbarorum excursiones, tot victoriæ de hostibus nostris relatæ? Unde hæc horribilia famis, pestis, bellorumque flagella, quæ adeo frequens irruunt? cur adeo frequens cœlum æneum experimur; cur tot variæ morborum species, quæ undique nos affligunt? hæc nonne a peccato, tanquam a fonte dimanant? Hæc tamen adhuc divinæ misericordiæ sunt effecta, ut nosmet colligamus, & ne in altera vita fæviores in nos pœnas exercere teneatur. *Idem.*

Peccatum tationi contrarium est.

Peccatum semper est rationi contrarium. Ex quo Dei offensa est, injusta rebellio est contra Dominum, a quo essentialiter pendemus. At si peccatum generatim rationi oppositum est, hoc verius dici potest de quibusdam peccatis singillatim, quæ ipso naturæ sensu perhorrescimus, ex quo serio ad illa advertimus animum; peccatis in mundo quidem vulgatissimis, quorum deformitatem ne sentiamus, cupiditas ipsa non prohibet. Conscientia nequicquam per intervalla sopitam excitat rationem, vel potius nequicquam ratio conscientiam extimulat. Cor prævalet menti, affectus de ratione triumphat, & qui pollet ingenio, hoc abutitur, ut seipsum propriis luminibus fallat, atque inanibus argumentationibus eam agendi rationem probet, quæ omnes divinas leges evertit, & quæ sæpe omnibus humanis sensibus adversatur. *P. Giroust Sermone de extremo judicio, tom. 1. Adventus.*

Ansa quâ dæmoni præbet jeridédi Deii, qui mortale peccatû committit.

De peccato hæc animadversio facienda est, quæ animam ab eodem profecto deterreret, dummodo aliquid boni sensus in eadem esset; hæc autem animadversio ultro, ac naturaliter sese offert: immo difficile est grave aliquod peccatum committere, quin animo occurrat. Qui tale patrat crimen, non ambigit, utrum displiceat Deo, ut dæmoni placeat. Quantumlibet interfit eidem, hoc sibi crimen permittere, certum est, Deum quidem læді. dæmonem vero victoria exultare . . . . Ipsa autem nullone affici sensu potest propter probrum, quo dæmon Deo potest illudere, ubi in vinculis suis conflictam habet animam, quam Jesus Christus sanguinis sui pretio redemit? Ego quidem nil curo, nisi ut hanc animam perdam: non vixi, non pertuli, non mortuus sum, ut illam salvam facerem; a me nonnisi odii accepit argumenta. Creator illius beneficiis eam cumulavit; illa tamen ipsum deserit, ut meas partes sequatur. Redemptor ejus incredibilia operatus, & passus est propter amoris magnitudinem, quo illam complectebatur. Ipsa tamen legem ejus contemnit, ut mihi serviat. Levissima religionis rudimenta, minima etiam de Deo, & beneficiis ejus cognitio cum negligentia adeo detestabili simul esse non posset; verum tamen Dei mandata infringuntur, aliquando etiam sine renitentia, sine pavore, sine formidine, aliquando vero etiam cum gaudio, atque festinatione. Peccato nil vulgatius est: videlicet nil vulgatius est occasionibus, quas dæmoni præbemus illudendi Deo. Quænam est peccatoris anima, quod cor? *Liber, cui titulus: Considerationes in varia religionis, Ethicæque argumenta tom. 2.*

teccatum latere non potest, insurgit in ipsum peccatorẽ, a quo patratur.

Frustra peccator tenebras quærit; frustra mortalium oculos fugit, ut suum peccatum committat, peccatum ipsius sese prodit, quidquid auctor contur, ut lateat. Cain præteremisit, ut Abel fratris sui, quem interemerat, mortem occuleret: sed sanguis ipse, quem parricidæ manus effuderat, illius nunciavit crudelitatem. Non Adam, neque Eva, immo neque anima Abel vocem elevavit, ut nocentem accusaret, sed crimen ipsum quodammodo clamavit; ut Cain impius agnosceretur. Quamvis peccator ad aliquod temporis intervallum posset hominum fallere cognitionem, suam tamen conscientiam fallere nequit; ac sufficit peccatum fuisse patratum, ut illud quale est auctoris conscientiæ videatur. Hoc Deum celare non potest, quem nihil latet, & fugit, & qui omnem legis suæ inobedientiam punire debet; sed non desunt crimina, quæ sua post se relinquunt vestigia, & quæ sequi statis est, ut nocens deprehendatur. *Idem.*

Fictæ, & pravæ peccatorũ excusationes, dicentium se aliter facere non posse.

Pravas actiones suas peccator ridiculis rationibus colorare conatur, quæ palam evincerent, eas non sibi, sed Deo acceptas esse referendas. Si harum rationum sensum assequi volumus, huc redeunt: Aliter agere nequeo. Imbecillitas, otcasio, complacendi studium, exemplum, cupiditas; per hæc ad libertatis defectum pervenire contendit. Si ita sui ipsius compos non est, ut evitare possit malum, quo fuopte rapitur ingenio, utque bonum peragat, cui aliquam in sem t experitur repugnantiam, cuinam ipse vult peccatum suum acceptum referri, nisi Deo, qui permisit periculum, qui gratias distribuit, qui unus virtutem nostram sustinere potest? Non possum, cur hoc? Quia non adducit me Deus in statum, ubi possim: si peccо, culpa mea non est. Horribile facinus, quod Dei providentiam, sapientiam, misericordiam, & sanctitatem lacessit? *Idem.*

Peccati nequitia, & contumelia, quæ infertur Deo.

Ego vero peccatis meis quid mali infero Deo, inquiet vir plus æquo liber? Quid mali Deo infers? Hoc centies, ac millies tibi dictum fuit. Imperiis ejus non pares, legem ejus infringis, illi creaturas præfers; nonne per hæc gravissimam illi inferre contumeliam tibi videris? Nunquid Deus minor est hominibus? Nunquid est infra Reges, quorum statura diligentissime servas? nunquid jus illi non est exigendi, ut sibi obtemperetur? Nonne dixisti etiam aliquando, ipsum majus aliquid esse, quam omnes simul terrarum principes, ac reges? Cur autem non habeat par privilegium? Num universorum Dominus est, ut homines æquo animo abire sinat in omne flagitium eisdem cumulatissimam libertatem relinquens? Nunquid quia regum omnium est optimus, lenitas ejus nos aget, ut illum impune offendamus? *P. De la Rue, Sermone pro feria sexta post quartam Quadragesimæ Dominicam.*

Deus odit peccatum, & unde judicii ferre liceat de hujus odii magnitudine.

Peccata nostra nimis magna esse dicenda sunt propter Deum, quem lædunt, quoniam in illis de gloria sua agi putat, & infinite illius provocant iracundiam: quandoquidem Deus, ut gloriam suam repararet, eam, ut ita dicam, sacrificavit, utque suam flecteret indignationem, filii sui vitam immolavit. Principum justitia nunquam magis terribilis videtur, quam cum dolori suo aliquam immolant sibi charissimam victimam. Cum in Scripturis videmus regem Moab filium suum super obsessæ urbis mœnibus sacrificantem, ex terribili hoc exemplo facile doloris ejus magnitudinem intelligimus. Crux cruenta, quam de Calvarii vertice effulgentem intueor, quam horribilem oculis meis objicis imaginem magnitudinis peccati, ac severitatis divinæ justitiæ! Dicendum quidem est, Deum infinite odisse peccatum, quandoquidem imaginem illius adeo severe punit in persona filii sui, qui alioquin neque per essentiæ suæ divinitatem, neque per morum suorum innocentiam ultionis fulmina remorari potuisset. Dicendum quoque hoc malum hominibus gravissimum esse, ac illud miserrima pro ipsis subsequi effecta, quandoquidem, ut mala nostra præverteret Deus, tot pertulit pœnas. *Biroat in Sermonibus Peculiaribus in aliquot anni Dominicas, Sermone secundo de Jubileo.*

Meritorũ nostrorum jactura ob unicum mortale peccatum.

Si unquam accidit, ut vel unicum mortale crimen committatis, quidquid agitis, vigiliæ, jejunia, preces, eleemosynæ, omnia charitatis opera ita pereunt, ut si quid humanitus eo in statu vobis contingeret, in æternum de salute vestra actum esset. Post vitæ præsentis laborem quietem nacti fuissetis, ac opera vestra bona vos secuta fuissent; sed recens peccatum, quod mors excipit, vobis suavissimam hanc auferet requiem, & ex omnibus bonis operibus vestris ne unum quidem erit, cujus ratio habeatur. Fingite vobis agricolæ mœrorem, doloremque, qui postquam agellum suum optimis seminibus sevit, sudoribus suis irrigavit, speravitque futurum, ut uberrima messis omnes labores, sumptusque effusissime repararet, repente videt sævissimam irruere grandinem, atque florescentes aristas prosternere, ac dissipare. Fingite vobis institoris tristitiam, qui post diutinam, difficilemque navigationem jamjam portum subiturus navi mercibus onusta incidit in piratas, qui inomento plurium annorum fructus eripiunt. *Ex Dictionario morali sermone secundo pro exitu Jubilei.*

Mala, quæ gignit peccatum.

Mortaliter peccare est amittere amicitiam Dei, omne meritum sanguinis Redemptoris, jus, quod hic nobis

per

per mortem suam ad cœlestem gloriam fuerat adeptus: est Deum amittere. Intelligite jacturam hanc, omnia, quæ illam consequuntur mala, cogitate, ac mortalis peccati enormitatem assequimini. Animæ reprobatæ! infelices iræ, ac justitiæ Dei victimæ, quoniam noluistis esse objectum bonitatis ejus, atque insignium misericordiarum illius, quanta illa sit, cognoscitis, vel saltem incomprehensibilem enormitatem criminis vestri sentitis. Quinam sunt dolores vestri? Extremi quidem sunt, & rabies, ac desperatio vestra nullum umquam inveniet finem. Morbi, bonorum jactura, adversitates, tristes, molestique vitæ hujus casus quam immerito mala vocamini! Quantumvis hoc menti, & cordi amarum sit, si peccatum deest, illic verum inveniri potest bonum: hæc omnia mihi salutaria esse queunt, atque asserta hæc mala a me tamquam Domini beneficia habenda sunt; etenim reipsa sunt: e contra vero honores, fortunæ, opulentia, humanæ dignitates, gaudia, vitæ hujus voluptates, si cum unico lethali peccato conjunctæ estis, veræ calamitates estis, ac terribile Dei jure irritati supplicium. Verum igitur est peccatum non solum unicum esse malum, proprie loquendo, sed non aliud præter illud esse posse malum. Heu! itane esse censetur? Peccatum placet, peccatum habet illecebras, ac dici posset, mortales in voluptatibus nullum invenire gustum, nisi aliquo scelere condiantur. *P. Croiset tom. 1. recessus.*

Quid sit mortale peccatũ.

Ecce quid sit mortale peccatum: offensa majestatis infinitæ, quæ infinita reverentia digna est, & quæ infinite amari meretur. Voluntaria est contumelia facta Deo a creatura vili, & abjecta, quam Deus ipse beneficiis cumulavit. Hoc malorum omnium est maximum, & proprie unicum malum est; fons omnium malorum, quod omnibus satisfactionibus, ipsoque mortalium omnium sacrificio expiari non potest; solum æterno dignum supplicio: hoc est mortale peccatum. Verum a quonam tale existimatur? ... Magnum profecto malum esse dicendum est, quandoquidem Deus, qui ipsa bonitas est, & cujus misericordiæ superant omnia prodigia, quæ operatus est, adeo terribili pœna unicum mortale peccatum persequitur. *Idem.*

Infelix animæ status in peccato mortali.

Nobis peculiariter observandus est miser animæ status, quæ sese peccato mancipavit: sicuti enim corpus mortuum non habet amplius animam, ut suum statum agnoscat, neque sensum, ut illum sentiat, neque vocem, ut illius opem imploret, a quo ad vitam revocari posset, ita anima semel Deo orbata, lethalique peccati vulnere confossa in miserrimo statu versatur, quin illum agnoscat, quin illum sentiat, & quin aliquod illi superfit, ut S. Augustinus ait, lumen, quo confugiat ad Deum, atque malum suum deprecetur. Anima vita mundi est; & Deus vita est, & quodammodo anima animæ: *Vita corporis anima, vita animæ Deus.* Si bene intelligere cupimus statum animæ Deum non habentis, satis est considerare corpus non habens animam. Immo hoc etiam particulare est; Deus mortuum corpus non odit, quatenus simpliciter corpus est, quod hoc in sensu boni, malique capax non est; sed animam Deus vere horret, & odit. Eam detestatur eo usque, ut terribilibus, æternisque damnet suppliciis, nisi ipse illam de hoc peccati statu eduxerit. Illa enim adeo misera est; ultro, & ex voluntate sua misera est, nec non in sua misera superba. *Liber cui titulus:* Instructions Chretiennes *pro decima quinta post Pentecosten Dominica.*

Mortale peccatum meretur pœnarum æternitatem.

Opus esset intelligi posse infinitam Dei majestatem, infinitumque discrimen, quod interest inter creaturam, & Deum, quem illa lædit, ad hoc ut digna enormitatis peccati conciperetur idea. Infinitæ majestatis offensa, quæ auctorem suum ab extremo ipsius fine detrahit, in ipso omne vitæ principium extinguens, aliane pœna puniri digne potest, quam æterna? Nulla in altera vita redemptio est, reditus nullus; oportet igitur arborem in æternum ibi permanere, ubi ceciderit . . . . . Animæ reprobatæ! Victimæ infelices iræ, atque justitiæ Dei, quandoquidem esse noluistis bonitatis, insigniumque misericordiarum ejus objectum, intelligitis jam, vel saltem incomprehensibilem hanc percipitis enormitatem, quinam sunt dolores vestri? Dolor quidem vester extremus est, & rabies, atque desperatio vestra nullum est finem habitura. *P. Croiset, tomo primo recessuum pro die unica in singulis mensibus.*

Nobis metuẽdum est pro peccatis, quæ commisimus.

Cogitemus, ubi unicum mortale scelus a nobis toto vitæ spatio patratum fuerit, nobis justam esse cautem gemendi, atque metuendi usque ad mortem. Peccavimus, peccatorum nostrorum numerus nos terret; adhuc peccare possumus; ignoramus, utrum peccata nostra nobis dimissa fuerint, & quomodo possumus non timere . . . . Quantumvis flagitiosus, & impius aliquis sit, nollet tamen mori in peccato; & in peccato vivere placet, quamvis ne unius quidem horæ spatium nobis ad vivendum polliceri valeamus. Numquid cum morte pepigimus, numquid cum vitæ auctore, ac domino fœdus percussimus, nos morte nequaquam in peccato iri occupatum? Mirum profecto est, fideles multis indigere argumentis, ut peccati horrorem concipiant; numquid totidem quæsita fuerunt unquam, ut præcipitis alicujus lapsus horror, metusque injiceremus? Quantumvis suavissimum esset virus, num aliquis epotaret illud sciens hoc sibi mortem certissimam allaturum? *Idem.*

Duplex odiũ, quo Deus peccatũ persequitur.

Quemadmodum habet Deus abominationis odium in peccatum, & in peccantem, ita in hunc odium etiam habet inimicitiæ. Ad hoc agnoscendum satis est sacra aperire Biblia, quæ ubique scatent minis, & maledictis, quæ Deus in impium contorquet. Satis est oculos conjicere in omnes terrarum plagas, quæ ab ipsis usque mundi primordiis gerunt, æternumque gerent signa iræ illius in peccatorem. Hæc Angelos puniens cœlum ad solitudinem fere redegit; hæc olim universalis diluvii fluctibus terram obruit universam. Sed odium non subsistit, peccatorem ultra sepulchrum etiam persecutus est, ut illum in æternum, cruentumque ultioni suæ sacrificium mactaret. Et quamvis odium ejus omnes suas exerit vires, ut in inferno puniat peccatorem, quantumvis has justitiæ suæ victimas incessanter percutit, non expletur: ideoque suppliciorum duratio nullos habet terminos; cumque illorum magnitudo odium Dei æquare non possit, tormenta illius esse debent æterna. Hæc doctrina duo nobis aperit: primum, peccati nequitiam admodum enormem esse, quandoquidem Deus adeo justus, & bonus illam tanto persequitur odio: alterum, quo pacto pœnitentes odisse debeant peccatum, quandoquidem sensus nostri justi non sunt, nisi fuerint divinis consortes. *P. Geon in libro, cui titulus: Usus Sacramenti Pœnitentiæ, cap. 1. §. 1.*

Odiũ peccati a nobis habẽdum.

Cum odium peccati necessario producat dolorem in anima illius, qui peccavit; propter hoc odium, pœnitentia, & dolor ita vehemens concipiendus est, ut nihil in mundo sit, quod perpeti non malusses, & cui ferendo præsto non sis, potius quam illud imposterum committas. Hoc nondum satis est; etenim hoc odium, & abominatio efficere debent, ut excitemur ad peccatum in nobismetipsis puniendum, ultionem de nobismet reposcendam, ac illud, si fieri potest, radicitus convellendum. Quemadmodum autem fieri vix potest, ut peccatum hoc pacto oderimus, quin simul, & quidquid illius suit, vel esse potest causa; hinc sequitur, odium, quo peccatum abominamur, necessario sese extendere debere ad ea omnia, quæ illius causa, & occasio fuerint, si hæc causa, & occasio vulgo cum effectibus suis conjunctæ esse consueverunt. Alioquin enim hoc non est odisse peccatum; quemadmodum non est calorem metuere, ignis accessum non reformidare. Hic ille sensus est, qui omnes veros pœnitentes constituit; *peccatum meum contra me est semper*, dicebat David Psalm. 50. Peccatum meum semper sese objicit oculis meis, sed tanquam mortalis inimicus, qui me terret, & quem non perhorrescere nequeo. Hoc odium est abominationis, & quoniam oculi illius causa fuerant, & occasio lapsus ipsius, eos perpetuis fletibus adjudicavit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Psalm. 118. *Idem.*

Peccatores iterum Dei filium crucifigũt ut S. Paulus ait.

Mira prorsus locutio illa est, qua Apostolus ad Hebr. 6. utitur, ubi ait, peccatores iterum sibimet Jesum Christum crucifigere: *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Qui enim arbitrari potuisset, Christianum, qui peccator factus est, esse, ut ita dicam, viventem calvarium, & flagitia sunt, & spinæ, mallei, & clavi, lanceæ, & fel, ministri, atque carnifices? Quis existimare potuisset, illic crudele, ac infame patibulum esse, ubi videtur Jesus Christus denudatus, Jesus Christus contumeliis affectus, Jesus Christus toto corpore laniatus, Jesus Christus denique in cruce mortuus? Hoc tamen affirmat Apostolus. O cœlum! Poteſt ne oculis fidei videri spectaculum adeo cruentum, & horribile, quin millies potius mortem nos subituros statuamus, quam semel assensum præbeamus, ut illud in corde, & membris nostris instaurare velimus efficientes, ut hæc fiant peccati instrumenta? *Liber cui titulus: Colloquia Joannis Abbatis, & Eusebii Presbyteri.*

Descriptio animæ in peccato mortali.

Ut animo concipiamus ideam status animæ in peccato, meminerimus miseræ illius, & luctuosæ descriptionis, quam in primo Machabeorum libro nobis proponit Scriptura circa Templi Jerosolymitani profanationem. Revocemus in mentem tabernaculum suis exutum orna-

ornamentis, atrium immundis animalibus tectum, muros cædibus, atque abominationibus fœdatos, thesauros, & sacra vasa diceptioni tradita, intermissas cæremonias, & sacrificia, idolum in templi fronte constitutum; fumum sacrilegi thuris mixtum sanguine sacerdotum victimarum loco jugulatorum; totam templi ædeo augusti, & venerabilis sanctitatem, pompam, opulentiam in manus avaritiæ, & impietatis barbari Antiochi traditam. Tristis, sed naturalis imago animæ peccato corruptæ, & fœdatæ, templi hujus miserrimi, ubi pro Christo Jesu colitur dæmon, ubi fides, quæ illius est fundamentum subsistens adhuc inter aliarum virtutum reliquias nescio quam ostentat religionis, atque profanationis mixtionem. Peccatrices animæ quid estis post mortale peccatum, & omni eo tempore, quo per pœnitentiam deletum non est? *Specimen Sermonum pro die Pentecostes.*

Deus pro nihilo habitur.

Sed propter quid hic terræ vermis supremam hanc offendere majestatem? pro turpi voluptate, pro levissima utilitate. Cui me comparasti, Deus inquit per Prophetam suum? Vel potius cui me non præuliisti? Licet hoc esset totius orbis imperium, semper insignis esset contumelia; sed nihilominus pretii magnitudo magnitudinem criminis quodammodo imminueret, vel saltem magis excusabilem efficeret nocentem: sed pro re vili, abjectaque Deum lædere! *Obstupescite cœli super hoc.* Jerem. 2. Obstupescite propter indignam hanc electionem! portæ cœli plorate, omnemque abjicite consolationem! *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* P. Nepveu tom. 3. *Considerationum.*

Beneficia, quibus a Deo fuimus cumulati infinite augent peccati gravitatem.

Peccati gravitatem infinite auget multitudo, & magnitudo beneficiorum Dei. Nos a quibus fuit tæsus, Nos ad suam creavit imaginem, nos sanguine suo redemit, nobis illius pretium peculiari modo, atque præ aliis applicat. Nos evocavit ad fidem, nos quotidie sua carne, & sanguine nutrit, nos ab infinitis liberat malis, a sexcentis præservat periculis, quæ & pro tempore, & pro æternitate funesta essent futura: nos suis prævenit gratiis, suis cumulat beneficiis; atque ipso a nobis tot mala propulsante, nobisque tot bona elargiente, ac recentia destinante, hoc eodem tempore ejusdem obliviscimur, illum offendimus, omnia ejus beneficia contemptis rependimus. Numquid inter homines, quantumvis adeo ignavi sint, videtur unquam adeo horribilis ingratitudinis exemplum, nisi erga Deum suum? *Idem.*

Non audent palam dicere, Deum esse auctorem peccati; sed hoc secreto dicunt, cum rejiciunt in naturæ, ac temperamenti, quod a Deo receperunt, infirmitatem ea crimina, quibus adstrictos se sentiunt. Sed quantumcumque proclivitatem in peccatum homo expriatur, illi tamen integrum est bonum, malumque operari. Alioquin enim quomodonam, S. Augustinus ait, Deus homines judicaret, quo jure præmiis, vel pœnis afficeret eos, quorum bonæ, malæque actiones, cum liberæ uequaquam sint, nec pœnam, nec præmium possent mereri? Profecto homo corruptus, ac inordinatus per originale peccatum, cujus funestas experitur impressiones, vehementem habet in vitium propensionem: *Sensus hominis prenus est ad malum ab adolescentia sua.* Genes. 8. sed intelicem hanc propensionem Jesu Christi gratia impugnat, itaut, si homo per seipsum fragilis est, potens sit per auxilium, quod Deus illi confert. *Essais de Sermons pour l'Avent.*

Quam deplorandus sit status animæ, quæ mortale peccati committit.

Propheta, qui Jerosolymæ excidium, templique eversionem effusis lacrymarum imbribus profecutus es, ecce fletibus, lacrymisque toto cœlo dignius argumentum. Cum nobis ob oculos ponis deplorabilem miseræ civitatis interitum, dicis, illam olim ita civibus frequentem, opibusque cumulatam fuisse, atque in solitudinem redactam mira civium fuorum internecione: illam, quæ tot imperitabat provinciis, crudelissimæ servitutis jugum subisse; antiquum ejus nitorem ita evanuisse, ac fuisse delatum, ut ne minimum quidem pristinæ majestatis vestigium superfit, ac hostes illius ejusdem possessionem adeptos inde abstulisse quidquid locupletissimum, atque pretiosissimum plurium sæculorum spatio collegerat. Ne putetis (S. Hieronymus comm. in cap. 64. Isaiæ ait) terribilem miseræ hujus civitatis lapsum præcipuum esse lacrymarum Jeremiæ argumentum: longius ille spectabat, ac uberius lacrymis prosequebatur excidium fidelis animæ, quæ per peccatum de gratiæ decidit statu, simulque omnes amisit virtutes, & omne meritum, quod diuturna bonorum operum exercitatione fuerat adepta: *Hic plangitur fidelis anima, qua quondam plena fuit numerositate virtutum.* La Feuz.

Homo in mortali peccato proprie homo est, qui Deum amisit. Heu! si, uti par est, intelligeretis, quid sit anima, quæ Deum amisit, anima, quæ illius in semet imaginem, ac similitudinem delevit, quam horribilis, quam tetra vobis videretur! Quantopere metueretis, ne illam in adeo deplorabilem statum immergeretis? Qua cura illam quamprimum educere satageretis? Quam pœniteret vos illi adeo funestam, terribilemque mortem inflexisse? Lacrymæ nequaquam eliciendæ sunt ob consanguinei, vel amici alicujus interitum, se pro argumentis longe miseratione dignioribus. Vin' scire, quæ mors tuas lacrymas, tuosque ejulatus mereatur? Mors animæ, quæ per mortale peccatum Deum suum perdidit. *Idem.*

Mortaliter peccare est in turpissimam omnium turpitudinem decidere; quia qui Dei filii, divinique regni erant hæredes, servi, ac filii dæmonis fiunt. Est eam contrahere maculam, cui nulla similis est; est sese iis subjicere tormentis, quæ, quidquid nobis fingere valemus, excedunt. Est perdere omnia, corpus, animam, gratias, merita, gloriam, paradisum, imperium æternum, ipsumque Deum. Est proditio sine exemplo, quia illum prodimus, cui universa debemus; est inexplicabilis perfidia, quia est deficere a fide, quam supremo huic Domino debemus; est inaudita rebellio, est enim arma sumere contra Deum cœli, ac terræ; est deplorabilis ingratitudo, quæ erga illum committitur, cui omnia naturæ, & gratiæ bona accepta sunt referenda: furor est execrabilis, est enim Deo dæmonem ipsum præferre. Est pedibus conculcare sanguinem Dei pro nobis tanta cum charitate effusum: infinita est nequitia, quæ lædet bonitatem nullos fines habentem: est parricidium, vitam enim aufert illi, a quo vitam recepimus, & qui patris nostri titulum assumere dignatus est: est crimen læsæ majestatis divinæ, & incomprehensibile facinus; hoc enim est Dei ipsius personæ audaces manus injicere velle. *Boudon, in libro cui titulus: Le chrétien inconnu.*

Mali m. quod mortale peccatum adferat peccanti.

Sacra Scriptura magis significantia non invenit verba, ut ostendat, quantopere ipsa peccatum perhorrescat, quam illud vocans *Abominationem*: & *Abominabiles*, qui committunt illud: *Abominabiles facti sunt in studiis suis.* Psalm. 131. *in abominationibus, quas fecerunt.* Ezech. 43. Equidem scio, illam his uti vocibus ad magis enormia scelera indigitanda, qualia sunt Sodomæ, & Gomorrhæ flagitia, quæ ignem de cœlo detraxerunt, & ea, quæ Deum impulerunt, ut terram universam generali elueret cataclysmo, & abstergeret sordes abominabiles, quibus erat fœdata; sed hoc minime prohibet, quominus peccatum mortale hoc nomen mereatur, & reipsa non sit abominatio coram Deo: *Filii abominationum sunt filii peccatorum.* Eccl. 41. Quod duplici modo potest intelligi. Primum ratione naturæ ipsius peccati; peccatum enim mortale enormem nequitiam, ac monstruosam complectitur deformitatem, quippe quæ rectæ rationi, & legi Dei est oppesita; quod illud efficit abominabile, hoc est dignum odio, & execratione mortalium omnium, quemadmodum divina dignum est. Secundo abominabile est ratione effectus sui, quia odiosum facit illum, a quo patratum est; & Deus, qui nihil odit eorum, quæ fecit, & e contra omnes creaturas suas amore prosequitur, respicit & peccatum, & peccantem tamquam inimicum sibi, suæ indignationis objectum, vas iræ, quemadmodum Apostolus loquitur; subjectum, in quod æternam exercebit ultionem, nisi peccator ipse suum detestetur crimen, & illud lacrymis pœnitentiæ non eluat. Homo vero in mortalis peccati statu, qui hæc omnia complectitur, in oculis Dei in horrore est, atque abominatione. Itaque de illis omnibus, qui mortale peccatum committunt, cujuscumque generis illud sit, dici potest, quod Sacer textus Deuter. 22. ait de uno singillatim: *Abominabilis est apud Deum, qui hæc facit.* Qui lethaliter peccat, fit abominabilis coram Deo, qui illum respicere nequit, quominus omne, quoad fieri potest, odium in illum concipiat: quod satis esse deberet, ut eosdem sensus conciperemus. *Auctor Sermonum in omnia Ethica christiana argumenta, sermone pro ultima post Pentecosten Dominica.*

Peccatum, & peccator sunt abominabiles coram Deo.

SUPPLEMENTUM.

De fide est quodvis mortale peccatum æterno supplicio esse piniendum.

PRoponit hominibus Deus revelationem æque terrore plenam, ac dignam reverentia; scilicet peccatum quodvis mortale suapte natura mereri æternum supplicium. Deus, inquam, hunc fidei articulum cum toto auctoritatis suæ robore, & per os Prophetarum proponit; eorum enim ignis, Isaias ait, non extinguetur; & per os Apostolorum; qui resistunt Evangelio, ignis pœnam, juxta Sancti Pauli testimonium, perferent; & per

& per Oracula incarnatæ Sapientiæ, ite maledicti in ignem æternum, qui vobis præparatus est a mundi principio: & per unanimem totius Ecclesiæ consensum, quæ semper in hoc sensu Scripturas est interpretata; & per decisionem Conciliorum, quæ id explicite docuerunt: & per traditionem duarum legum veteris, & recentis, quæ semper ubi de hac re verba fecerunt, nunquam ab instituto declinaverunt. Denique per omnia fidei nostræ placita, quæ nobis annuntiat æternum in sua duratione supplicium, tamquam uni peccato debitum, & unius etiam momenti peccato, cum eo procedit, ut nos divellat a Deo, & sacrum infringat vinculum, quo eidem adhærere debemus. *P. Bourdaloue in Domin.*

Peccatum nos in hac, & in gloria vita miseros facit.

Si hoc vos experientia non docuit, scisciitamini ex peccatoribus, qui vobis beatissimi videntur, quid ipsis peccata sua profuerunt. Heu! voluptas, quæ tanquam flos illorum extiit, momento pertransiit; ærgritudo, vero probrum, tumultus fructus amari iniquitatum permanserunt. Quærite hoc ex calamitosis inferni victimis: æterna desperatio ipsis ardentior flammis, quibus in æternum vorabuntur; hic sceleram suorum fructus est. Licet vero peccatum hominem beatum efficeret in terra, quid inde lucratur, cum interim æternitatis detrimentum patiatur? *Morales Animadversiones cum Notis in S. Pauli ad Romanos Epistolam.*

Partes animæ in peccato positæ sepulchro sese moventi comparantur.

Satis apta est Patrum similitudo animam in peccato positam sepulchro sese moventi comparantium; quia cum anima sit mortua, corpus, quo continetur, est quodammodo sepulchrum illius. Eaque comparatio ideo est magis apposita, quia sicuti sepulcra aliquot extrinsecus ornatus habentia, intus tabo, ac putredine diffluunt; ita mortales hi, qui videntur hilares, externisque dotibus sensus hominum fallunt, celant intus adeo horribilem corruptionem, ut si hæc videretur, illi ferri minime possint. *Sermo, quo ostenditur, quam prava sint humana colloquia.*

Mortale peccatum committere cum se Pœnitentiæ hoc est tentare Deum.

Dicere possumus, quocumque peccatum committitur cum spe pœnitentiæ, modum esse tentandi Deum: communis enim ad salutem via seu pro illis, qui nondum Baptismalis innocentiæ jacturam fecerunt, seu pro illis, qui eamdem per pœnieutiam reparaverunt, est, tueri gratiam, quam receperunt, eamque pro viribus augere christianarum virtutum exercitatione. Affirmare igitur, futurum, ut Deus nos in viam salutis revocet, licet inde per scelera nostra egrediamur; hoc est communi sese Providentiæ subtrahere, & velle illum cogere ut in ordine gratiæ miracula pro nobis operetur. *Ex modis, quibus tentatur Deus.*

Peccator in se gerit unde rubore suffundatur.

Cum in eam calamitatem incidimus, ut mortalis alicujus noxæ rei simus, nullibi æquius nosmet humiliandi, atque confundendi argumentum invenire possumus, quam intra nosmetipsos. *Humiliatio in medio sui Israel.* Quapropter peccatum dicitur nihilum, quia nos omnibus exuit bonis gratiæ, gloriæque; vel quia, ut Sanctus Augustinus inquit, homines reddit nullius pretii coram Deo, quamobrem illos ne respicere quidem dignatur, ut ipse loquitur in Scripturis, ubi de illis loquitur per negativa verba, sicuti nos loqui confuevimus de illis, quæ neque sunt, neque existunt. *Vocabo nomen ejus non populus meus.* Quid est coram Deo in illius conceptu, atque æstimatione peccator? est quasi non esset, eumque ille nullo habet in discrimine. Hoc igitur intuitu, & cogitatione hac nosmet annichilare debemus coram majestate Dei cum Regio Propheta dicentes: *Ad nihilum redactus sum, & ego nescivi.* Peccatum meum, Domine, in nihilum redigit me. Quod si cogitatio nihili naturalis, ex quo sumus educti, nos humiliare debet, ubi consideremus tempus fuisse, quo nihil eramus; quæ satis profunda abyssus, est, in quam nosmet descendere debeamus meditantes nihilum supernaturale, quod peccatum est, quod nobis aufert omnia vera bona, & non in turpi rerum omnium egestate relinquit. Post hæc possemusne adhuc aliquid de nobismetipsis præsumere? *Recens Auctor.*

Mich. 6.

Osee 1.

Job 30.

Quacumque mentis vel corporis prærogativa præfulgeat peccator; semper in Dei oculis est abominabilis.

Neque solum peccatum omnibus nos exuit supernaturalibus bonis, quæ nostram ornant animam, nosque Dei æstimatione dignos reddunt; ad hæc labes est, quæ animam polluit eamque abominabilem efficit coram oculis illius. Credunt quidam labem hanc esse qualitatem inhærentem substantiæ animæ nostræ, qua deformatur, ac turpis efficitur, qualis esset nigredo quædam in cultu; alii vero tenent, peccata imprimere notas quasdam, quæ ex caracteribus ipsis dignoscuntur, & quæ a Sancto Ambrosio vulneribus, horrendisque cicatricibus comparantur. Verum quodcumque sit, certum est, relinqui ab illis maculas quasdam, quas sanctus quidam Pater melius exprimere nequivit, quam illas vocando, labes, lineamenta, & notas dæmonis, turpitudinem exprimentes; quibus reddimur turpes, & in oculis Dei contemptibiles. Ita ut quantumcumque aliunde niteamus, quacumque egregia spiritus, vel corporis prærogativa præstemus; ubi aliquo scelere sumus onusti, tantum abest, ut oculis Divinæ majestatis placeamus, nequeamus non esse eidem invisi, & illius digni iracundia. *Auctor Recens.*

Anima quantum a peccato deformetur. Isaiæ 14.

Anima hac peccati labe polluta, ita deformata est, ac adeo alte de statu priori decidit, de eadem prædicari possint hæc Prophetæ verba: *Quomodo cecidisti de Cœlo lucifer, qui mane oriebaris? Tu fundamentum similitudinis, perfectus decore: omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Anima Christiana Dei sanguine abluta matutino sydere fulgidior, cui Deus nitentia afflaverat similitudinis Creatoris tui lineamenta, coram quo astrorum lux evanescebat, quonam abiit fulgor ille incomparalis, quo Dei corrapiebatur? Præclarissimum jubar, quomodo factum es tetrius, & atrius ipsis abyssi tenebris? Quid autem adeo insuetam mutationem efficere potuit? hoc sequentia docent verba: *Donec inventa est iniquitas in te.* Peccatum, quod in te repertum, est universum splendorem hunc abstulit tibi. Illa nonnisi contemptus objectum est in oculis ejus, ac minori habetur in pretio, quam lutum, quod pedibus calcatur. De hac re dubitare non possumus, & notam hanc toto vitæ nostræ spatio deferemus; & etiam fortasse in peccati mortalis statu fumus. Quod si verum est, quam confusionem, quod opprobrium meremur apud omnia creata! Quibus quantumcumque aliunde præstemus, abominabiles facti coram Deo mortalium omnium contemptum mereremur, si ab illis quales sumus, cognoscemur. *Auctor Recens.* Ibidem.

Servi est Dæmonis a quo victa fuit.

Peccatum non esficit Dæmonis mancipia, socios infelicitatis ipsius, ac dignos suppliciis omnibus, quæ per rebellionem suam contra Deum meritus est. Sicut enim Apostolorum Princeps testatur, quod: *A quo quis superatus est, hujus & servus est*; ita cum numquam peccemus quin supremur a Dæmone, cui ignave cedimus; quotiescumque peccamus, toties ad illum novo jure cæpimus pertinere. Eo usque, ut Deus, qui renuntiare nequit absolutum in suas creaturas dominium, hoc videatur quodammodo abjicere, dæmoni cessurus jus, & possessionem animæ, quæ ad illum pertinebat ante peccatum. *Voca nomen ejus non populus meus*, dicebat olim Deus de populo suo, a quo Iæsus fuerat. Hic populus non est amplius meus; quod vos rubore, & confusione deberet suffundere cum crebræ ingruunt nobis superbiæ cogitationes quacumque ex parte. Servisse domino eeterorum indignissimo, ac nequissimo, ac aliis dominari velle! Fovere existimationis, optimæque de semet opinionis consilia, & servitutis suæ vestigia adhuc deferre! *Auctor Recens.* 2. Pet. 2. Osee 1.

Peccatores non sentientes pondus peccatorum suorum aliquando se liberos putant sed falluntur. Psalm. 93.

Jure suo Propheta exclamat: *Ah! usquequo peccatores gloriabuntur!* Usquequo peccatores gloriam capitabunt cum in medio sui tot habeant erubescendi argumenta! Licet enim videri non possit hæc servitus, & possessio Dæmonis, & illi plerumque quos criminum suorum vinculis arctissime vinctos habet, ii sese magis liberos arbitrentur, sæpe in hoc ipso magis experiuntur illius crudelitatem propter catenas terribiles, quibus illos adstringit, videlicet propter inveteratos habitus, quemadmodum Sanctus Augustinus conquerebatur, & quos nullo modo possunt excutere, nisi accesserit divinæ potestatis miraculum. Et sane peccata nostra esse nobis deberent magnum humiliationi argumentum non coram Deo tantum, verum etiam coram hominibus, si nosmetipsos intueremus tamquam dignos infernos, quod peccati stipendium est. Hæc autem cogitatio, quæ ceterum est justissima, atque verissima, quam de nobismetipsis habere possimus; a nobis fovenda est, si ab aliis contemnimus, si non eo habemur in pretio, quod mereri arbitramur. Si qua nobis ingruit calamitas, & infortunium; si qua nobis infertur injuria, omnia a nobis tamquam a Deo recipienda sunt, qui ita de nobis periculum facere dignatur, ut nos revocet ad officium. *Recens Auctor.*

Deus est peccati inimicus, peccatum est unicum mundi malum.

Nulla vehementior est antipathia, quam quæ Deum inter, & peccatum intercedit. Dei natura necessario peccati, ideoque & peccatoris est inimica. Si peccatum cessare posset adversari Deo, non esset amplius peccatum; & si Deus posset non odisse peccatum, non esset amplius Deus. Non debemus igitur sperare, nos Deum esse possessuros, donec peccato possidebimur. Sicuti peccator non ingreditur in cœlum, quia ibi regnat Deus; ita Deus non intrat in animam, ubi regnat peccatum. Si justus haberetur peccati conceptus, solum peccati nomen mortalem animæ terrorem incuteret.

teret. Peccatum vere unicum est mundi malum. Bonorum jactura, calamitates, dolores, morbi, persecutiones, ipsa denique mors improprie mala nuncupantur, nisi quatenus sunt effectus peccati. Et profecto hominem calamitosum esse, pauperem, ægrum, & humani generis opprebrium, si in gratiæ statu est, eo quod minus est in honore, non ideo minus in honore habendus est. Status gratiæ efficit, ut jure filiorum Dei gaudeamus; ut interiori fruamur pace, quod illorum in hoc mundo proprium bonum est; sed quam miser, & infelix est status hominis illius, qui in peccato mortali est! Quoniam Deus illum odit, & apertus illi est inimicus; hinc est ille miserrimus. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Exterior Dei occupatio in id unum tendere videtur, ut peccati regnis evertat.

Deus, ut ita dicam, in mundo huic uni vacat, ut peccatum evellat; quidquid operatur extra se, ad id refertur. Si Filium fuum mittit in terras, id agit, ut inde peccatum exterminet. Si Ecclesiam instituit, hoc agit, ut peccatum extrudat, si nobis gratias largitur; his contra peccatum nos instruit. Si nobis præmia largitur; hæc illa ob relatam de peccato victoriam tribuit. Si in nos animadvertit; ideo punit, quod peccatum amavimus. O dignam Deo occupationem! Cur nos quoque eamdem nobis proponimus? Tot in singulos dies nobis suppetunt peccatum destruendi occasiones; cur id non omni nisu contendimus? An adnitente Deo, ut illud avertat, ipsi regnum illius restituere conemur? Nihil aptius efficere poteft, ut peccatum oderimus, quam videre qua feveritate illud puniat Deus, ubicumque inveniatur. Quam diftricte illud perfecutus eft in Angelis præftantiffimis omnium creatarum rerum, quin ullam haberet præftantiæ eorum rationem? Unicum ambitionis peccatum omnes illos beatos fpiritus delevit. Quanam feveritate illud percuffit in homine, quem tanta charitate dilexerat, & quem ad imaginem, ac fimilitudinem fuam efformaverat? Illud etiam perfecutus eft in proprio filio, ubi cum vidit fub fpecie peccatoris alienis peccatis onuftum, quin ullam Majeftati, Sanctitatis, infinitorumque meritorum ejus rationem haberet. Quomodo vero fefe geret in fervum propriis oneratum fceleribus? *Auctor Recens.*

Tenebræ, quæ peccatorem circumdant, prohibent, ne ille fe talem agnoscat. *Psalm. 18. v. ad Thess. 5. ad Rom. 13.*

Jure quidem exclamabat Propheta: *Delicta quis intelligit?* Qui novit, quid fit peccatum? Quo magis committitur, minus cognofcitur, Sanctus Auguftinus ait; peccatum quippe fecum defert tenebras, quibus abfcondit fefe facientibus illud. Ita quo magis aliquis peccat, eo magis excæcatur, & quo magis peccatorum numerus augetur, denfitas tenebrarum illud tegentium ingeminatur. Hinc fit, quod nequiffimi peccatores fæpe fe culpa vacare putant; & qui jufti funt fe reos effe fatentur; cum enim peccatum fit fpiritualis deformitas, videri non poteit nifi beneficio luminis æque fpiritualis, quale illud eft, quod peccatum magis magifque obfcurat in anima prout hæc illi magis, magifque fe mancipiat. Hac de caufa jufti dicuntur *Filii lucis*, & peccata *opera tenebrarum* vocantur. Hoc nobis præfignarunt denfæ illæ, atque palpabiles tenebræ, quibus olim Ægyptii infepulti fuerunt, cum interim Dei populus puriffima luce perfrueretur, ut ultro citroque, & quocumque vellent migrarent. *Abbas du Jarry in Sermone de Concepione.*

Quam periculofa fit malacia peccatoris in fceleribus tuis oficitantis.

Heu! primum facinus, per quod innocentiæ jacturam feciftis, tot vobis ftetit lacrymis; tot in vobis crudeles ftimulos reliquit! Poftquam vero affueviftis ferre jugum dæmonis, quin illud fentiatis; & degluti re, ficut aquam, iniquitatem; ftimulis infirmati funt, prout peccatum multiplicatum eft, ac tandem hoc illum extinxit. In horribili peccati nocte placidam quietem carpitis; & poft tot flagitia profunda tranquillitate fruimini. Undenam iftud? Ita hominem peccati in vobifmet confirmaftis repetitis lapfibus veftris in fcelus; ut vos jugo fuo fubjectos teneat, & homini novo ne fuperfit quidem robur contra illius tyrannidem muftitandi. *Idem ibidem.*

Quam alius fit a feipfo homo, qui cum primum vixerit in innocentia in peccato usque ad mortem confenuerit.

Repete, Chriftiane, primos ætatis tuæ annos, eofque, fi vales, in amaritudine tui cordis recogita. Memento puræ, beatæque illius innocentiæ, in qua verfabaris cum anima tua ftluftrata erat iis hominibus, quæ Baptifmi tui gratia adjiciebat fulgoribus rationis tuæ orientis; cum in aditu duplicis viæ adeo diverfæ, quæ oculis tuis vitium, virtutemque referebat, in exitu infantiæ, aberrare incæpifti in femitas iniquitatis, in quibus adhuc fortaffe rugis obducta fronte deambulas, fervans cupiditates cæcæ adolefcentiæ in obdurata feneftute; fentiens favillas impudicitiæ iterum inflammari in fanguine, quem in venis ætatis frigus adftrinxit, traditus phantafmati imaginationis criminum, ac defideriorum, quorum furorem corpus attritum libidinibus fequi non poteft; trahens fecas os fepulchri inveteratorum habituum catenas, minus fub annorum pondere, quam fub iniquitatum tuarum farcina curvatus. Ecce quonam in ftatu quam primum tibi prodeundum eft ad Tribunal Dei Viventis, vindicifque fcelerum. *Idem ibidem.*

Peccatis adeo oppofitum eft Deo, ut hunc integrum non fit, illud non execrari.

Deus adeo bonus eft, & perfectus, ut illi integrum non fit, non odiffe peccatum, quoniam odit illud neceffario; nec magis illi neceffe eft Deum effe, quam horrere fcelus; non magis effe Omnipotentem, juftum, misericordem, quam execrari peccatum; non magis quod Pater Verbum fuum producat, quod Spiritus Sanctus ab utroque procedat, quam quod contra peccatum fuccenfeat; quoniam infinita illius Sanctitas eadem ipfius fubftantia infinite repugnat iis, quæ funt eidem oppofita; quamobrem dicere poffumus, odium peccati effe eidem æque naturale, & neceffarium atque ipfa ejusdem effentia. Cæterum cum peccatum nihil habeat omnino Dei, nihil bonitatis, nihil perfectionum ejus, ideoque nihil boni, & amabilis: omnimodam habet cum Deo oppofitionem, quandoquidem fuprema eft nequitia, ficuti Deus fumma bonitas eft; ipfa eft turpitudo ficuti Deus eft caufa omnis pulchritudinis; ipfa eft objectio, ficuti Deus eft ipfa majeftas. Quantum igitur Deo neceffaria eft potentia, fapientia, & bonitas; tantum illi effentiale, ac neceffarium eft odium peccati: Ad hæc Pater æternus non mifit Filium fuum in mundum, nifi ut peccatum deleret; & Filius non defcendit in terram, nifi ut peccato mortale inferret, & Spiritus Sanctus ab utroque miffus non eft, nifi ut induceret in animos noftros formam divinam, quæ cum peccato fimul effe non poteft; ita ut quod in Deo perfonale eft refpiciat, atque exterminet peccatum tanquam ipfam abominationem. *Abbas du Jarry.*

Mortale peccatum invocatur, quia aufert a nobis gratiam, animæ vitam.

Peccatum mortale eft omnimoda abfentia, atque carentia charitatis, & gratiæ, ex qua mortalis peccati nomen haurit, ficut enim mors eft totalis extinctio ac privatio vitæ naturalis, ita peccatum mortale eft totalis carentia charitatis, & gratiæ, quæ anima eft animæ ipfius, & quæ tribuit illi vitam divinam, & fupernaturalem. Hinc peccatum mortale carnifex eft; igitur mortem meretur, & ficuti duo funt cædis genera, alterum quidem, quo vita aufertur viventi; alterum vero quo prohibetur, ne quis vita fruatur; ita peccatum mortale nos privat primo hoc genere vitæ, quæ gratia eft: atque fi in Bibliis memoratur, fanguinem effe vitæ thefaurum: *vita eft in fanguine*, & Deum ultionem expetiturum Sanguinis effufi: *Sanguinem ejus de manu tua requiram*; profecto cum hæc charitas, & gratia fit efficax, & præfervativa applicatio fangu nis Jefu Chrifti; toties hic Sanguis Filii Dei effunditur, quoties occiditur anima hæc, quam pretiofus hic Sanguis vivificaverat. Mortale peccatum ad hæc vitam aufert omnibus meritis, atque virtutibus, quæ gratiam habebant per hunc eumdem fanguinem, qui erat vivens earum principium. *Idem.*

Ezech. 5.

Peccatfi mortale tantum eft malum ut omnia mundi mala cum eo comparanda non fint.

Deus, licet Deus fit, (quod eft multum dicere) majus nequit malum inferre, quam unum mortale peccatum. Ita eft: numera tormenta omnia, quæ Deus adhibere poteft, hæc omnia fimul nequeunt tantum afferre detrimentum, quantum ex lethalibus peccatis minimum. Omnia hæc fimul non funt nifi malum pœnæ, & caufa miferationis, at misericordiæ: fed peccatum malum eft culpæ, & caufa odii in Deo, quod malorum omnium eft maximum. Da mihi hominem omnibus circumundique pœnis, quæ in hoc mundo excogitari poffunt, affectum, qui tamen fit infons; hic miter quidem eft, non tamen impius; e contra da mihi hominem una tantum mortali labe fœdatum, de hoc vere prædicati poteft: Ecce hominem nequam, & omnibus inferni fupplicis dignifimum. Peccatum tres prævertit ordines, quia fimul lædit naturalem rationem, leges humanas, & Dei mandata. Conftat fane, nihil umquam alteri adverfari, quin deftruat contrarium fibi: cum ergo peccatum lædat tres ordines in mundo conftitutos, ad nihilum eos redaturum; eorum finguli armari debent pœnis, & fuppliciis ad illud perdendum. Quapropter ratio naturalis panit illud ftimulis fecretis ab anima infeparabilibus confcientiam mifere dilaniantibus. Humanæ leges fupplicia propofuerunt ad illud puniendum, & Deus tenet fulmina ultionem fumpturus ob præcepta violata, peccatori æternam damnationem intentans. *Idem.*

Peccator per fcelera fua fit dæmonis municipium, & victima Dei.

Quicumque peccat, non eft fui compos, de fano rationis ufu dejectus eft, & judicium amittit; & fi minus hominis faciem deferit, tamen nobilioribus fefe exuit qualitatibus, ut brutalibus affectionibus induatur: Semper in ima fertur, atque, ut inquit Propheta, incidit in nihilum. *Ad nihilum redactus eft in conspectu ejus.* Nil amplius eft quam præda inferni, Satanæ mancipium, victima furoris Dei, objectum abominationis illius, & quod ejus interitum miferrimum facit id eft, quod cum omnia poffit in interitum fuum, nihil per fe poffit ad falutem fuam. Videamus hac in re utrum ex eorum numero fimus, qui negligunt omnia, cum ex vitiis emergendum eft. Cogitemus quomodo iis utamur gratiis, quas ad hunc effectum nobis largitur Deus? Oblivio Dei eft tamquam regio longinqua, quo peccator conceffit, & ubi manet. Hoc nobis exprobrari poteft, quod olim Deus populo fuo: *Populus meus oblitus eft mei diebus innumeris*; Revertimini ex hac regione, ubi tandiu permanfiftis, & ex hoc vitiorum cæno, cui hæretis. Jufti femper funt coram Deo, heu! quot horas præterire finitis, quin illius recordemini? *P. Novet in Meditationibus.*

Jerem. 2.

Habitus peccati nos efficit peccatores.

Si tantum eft peccati malum, toto cœlo majus erit pravus peccati habitus, qui proprie nos peccatores conftituit; actus enim criminofus præterit, & nos criminofos nequit efficere. Sed hic habitus nequam eft adeo infamis, ut non folum præcedentium peccatorum ingentem fupponat numerum, ideoque te infignem fuiffe peccatorem; verum quafi per neceffitatem in plurima futura impellit peccata, quæ efficiunt, ut tantam cum vitio habeamus familiaritatem, ut nobis quodammodo peccare neceffe fit; ideoque jure peccatorum titulo connotemur. *Sermo Manuscriptus.*

Nonnisi per gradus in peccati abyssum ruimus.

Tres funt gradus diverfi, per quos in peccato abyffum ruimus. Nemo repente fit peffimus, ac primum imperfecta opera eduntur, antequam præcellentia in lucem edantur. Confirmatus effe debet in malo, ut quis peccati habitum acquirat. Primus gradus eft cum per infirmitatem peccatur; cum in occafionibus, & focietatibus tentatio advenit, hominemque non fatis cautum nanciftur, qui propter infirmitatem in vitium fe trahi finit. Alter eft cum homo peccati habitum contrahit, & ultro, & libenter fe in illud rapi permittit; quæ nequitia appellatur, quia hoc fit cum omnimoda mali cognitione. Tertius denique eft, cum ratio nullo amplius in difcrimine malum habet, fed in omne fcelerum genus ruit fine metu, fine horrore; quæ impudentia, & brutalitas nuncupatur. *Auctor recens.*

Peccatum amat tenebras, & umbram.

Peccatum pudorem ciet, & cum nullibi in tuto fit, nocturnas quærit umbras, ut lateat. Hic Sanctus Paulus peccata opera tenebrarum appellat, & poft illum Tertullianus opera lucis inimica. Sed curnam peccatum tenebras quærit? quia divinæ, humanæque juftitiæ timor illud retinet; & fi fpeciofas habet voluptates fuas, non defunt illi vera, ac realia tormenta. Verum habitus facit, ut tandem hic pudoris fenfus intereat. *P. Antonius de Sancto Martino a Porta.*

Homo cum liber fit, ne Deil lædat, illum tamen lædit tamquam coactus.

Sanctus Bernardus fermone primo in Cantica, ait voluntatem nefcio quomodo peccato immutatam fibimetipfi catenam nectere, fibique neceffitatem illius non infringendæ imponere. Sed quæfo, Sancte vir, dicito quid hoc rei fit? Hæc quædam vis eft, per quam noxia voluntas ita poffidetur a peccato, ut neque per fe inde valeat emergere, neque in rationem rejicere. Verum quid ifta fignificant? Id apertius doce. Anima fub turpi hac peccati fervitute detinetur ita, ut per voluntatem fuam mifere fit libera, fed captiva per infelicem neceffitatem, quam in ea parit pravus peccandi habitus, qui temporis fpatio ita incedit, ac inveteravit in illa, ut deinde fuperari minime poffit. Auctoritatem fuam in ufurpatione conftituit, & omne fuum jus in vi ftatuendum effe arbitratur. *Pater Antonius de S. Marcino a Porta.*

Peccatfi magnum gravius eft, quo complectitur infidelitatem in gratitudinem contemptum Dei, & beneficiorum ejus.

Peccatum noviffima eft omnium ingratitudinum; quippe Deum offendimus tunc temporis, cum nos cumulat beneficiis, cum nullum fit momentum, quo nullum ab illo recipiamus. Præterea contumeliofus eft contemptus, quo Deo noftram præferimus voluptatem, noftrarumque cupiditatum vota. Licet enim ore non fateamur, malle nos obfequi noftris cupiditatibus; nos abrenuntiare æternæ gloriæ, quam ille infidelitatis præmium promittit; velle potius æternam fubire damnationem nofmet in vitiorum omniam cœno volutando, quam ullam nobis inferre vim ad falutem comparandam; hoc tamen re ipfa inceffanter operamur. Poft hæc mirum non eft, fi Deus adeo levere punit peccatum. Quin loquar de gratia, quam peccatum arcet a nobis, æternis nos fuppliciis addicit. Pro unico voluptatis momento fuppliciorum æternitas erit fubeunda: *Momentaneum quod delectat; æternum quod cruciat.* Omnes rebelles Angeli præcipites dati fuere in infernum ob unum dumtaxat unius momenti peccatum, cujus pœnitentiam agendi nullum illis temporis fpatium conceffum fuit. Omnia mala, quibus homines funt obnoxii, funt effectus unius peccati primi parentis. Demum, quod efficere debet peccati enormitatem, mors eft Dei: Deo enim opus erat ad illud reparandum. *Chriftianæ Confideraciones.*

Peccatum eft adeo enorme ut fit causa omnium malorum vitæ, & mortis Dei ipfius.

Deus, qui ipfa bonitas eft, & cujus infinita eft misericordia, momenti unius crimen æternis punit fuppliciis. Angeli, creaturæ illæ adeo perfectæ propter unicum peccatum præcipites in infernum datæ funt. Poft tot fæcula mortales adhuc obruti funt miferiis, doloribus, morbis in pœnam inobedientiæ Adam. Deus fpiritum emittit in Cruce a fummo vertice ad pedes ufque vulneribus confoffus ad omnia mortalium delicta expianda: dicendum eft igitur enorme aliquid effe peccatum, alioquin Deus, qui ipfiffima juftitia eft, nequaquam adeo terribili ratione illud perfequeretur; ideoque tantum illius horrorem concipiamus oportet, ut numquam in illud pertrahi finamus. Moriendum potius nobis eft, quam femel peccandum. *Nulla major eft infania; quam pro delectatione momentanea, æterna, & indicibilia amittere gaudia; & ad æterna fe obligare fupplicia. Ibidem.*

Gemitus a peccatore coram Dei throno fundendi.

Non fatis noveram, Domine, quid fit peccatum. Modo novi, meque pudet, & pœnitet, cum in amaritudine cordis mei præterita vitæ meæ flagitia recordor. Dolor quo conficior, fincerumque confilium a me initum vitæ rationem mutandi, me in fpem adducit, te nequaquam negaturum mihi gratiam illius adimplendi, ac te permiffurum ut gemitus cordis contriti, & humiliati, te flectant ad lenitatem: *Cor contritum, & humiliatum Deus non defpicies: Averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*; Sed nihilominus paterna bonitate tua refpice peccatorem, qui peccavit quidem, fed vera ductus pœnitentia, poficit mifericordiam. *Ne projicias me a facie tua. Ibidem.*

Psalm. 50.

Odium, quo Deus peccatfi perfequitur.

Odium, quo Deus peccatum perfequitur, par eft amori, quo feipfum diligit; hoc eft immenfum eft, & infinitum, & nihilominus juftum eft, & infinitum. Hoc odium peccati adeo effentiale Deo eft, ut illum non odiffe non poffit; ideoque illud femper omni fupplicio rum genere perfecutum eft. Fingite vobis omnem hanc malorum colluvionem, quæ terris incubuit, morbos, peftes, tempeftates, terræ tremitus, bella horrentia, & clades, quas ignis, & aqua pepererunt. Hæc omnia evenerunt in pœnam peccati; & hæc omnia nihil funt, nec fatis dignam peccati pœnam conficiunt; Ut Deus omne evomat odium, quo peccatum execratur, inferno opus eft. Immo neque infernus ipfe ad id fatis eft, & odium quod fovet Deus contra peccatum, femper majus eft omnibus fupplicis, quibus illud punit. Poft tot decies fæculorum millia, quibus peccator in inferno excruciatus fuerit; idem erit ac fi, nihil adhuc paffus fuiffet, nec dici poterit aliqua ex parte fatisfactum fuiffe Deo, neque aliquid detractum effe illi pœnæ, quæ crimini debebatur. *P. Segneri in Meditationibus.*

Mortale peccatum eft contemptus Dei; nec mirum eft, fi pœnafi æternitate expiari minime poffit.

Non dicit Dominus, fe a filiis fuis læfum, fed contemptum fuiffe, quia malum omne, quo afficitur Deus, cum lædit, hoc eft quod contemnitur. Et profecto quanam alia in re illi nocere poffes? Bello, quod illi indicis, minime vales perturbare pacem, qua fruitur, neque potentiam ejus atterere, neque illum de folio deturbare. Quidquid ergo præftare tibi licet, eft illum contemnere. Ita cum quodcumque peccatum admittis, nequaquam fingillatim actionem hanc committis, quatenus ad objectum fuum refertur, fed cogita, ita Deum a te contemni. Nil ultra requiritur, ut perhorrefcas. At enim, ais, id non ago, ut Dominorum contemnam. Efto, damnati dumtaxat, & dæmones contemnunt illum, ut contemnant: Sed mandata illius infringere, illum contemnere eft. Nonne teipfum contemptum arbitraris a famulo, qui tua non faceret imperata, & qui domi tuæ ad arbitrium viveret, licet tibi animum lædendi te adeffe negaret? Scis Deum tibi hoc, vel illud interdicere; tamen cupiditati tuæ indulges: hoc nonne idem eft ac fi diceres: Nullum mihi negotium faceffit Patris cœleftis indignatio, & ejusdem hæreditatis jactura? Hæc autem vera eft illius iracundiæ caufa. Numquid mirum cuiquam effe debet fi poft hæc minimum mortale peccatum fuppliciorum æternitate puniatur? Cum peccatum fit contemptus Dei, nullum fatis congruum in Inferno inveniri fupplicium poteft;

test ; & opus est , ut pœnarum æternitas earum suppleat gravitati. *Idem ibidem*

Magnum flagitii argumentum est videre hominem a quo deseritur Deus, ut creatis rebus inhæreat.

In peccato duo inveniuntur , quæ simul ad illius enormitatem augendam concurrunt : homo peccans deserit Creatorem suum ; quare ? ut adhæreat creaturæ . Utraque circumstantia hæc seorsim sumpta nonne satis magnum esset scelus ? Creatorem suum deserere ; ullane major fingi potest infidelitas ? Creatis rebus inhærere ; ullane major excogitari potest aberratio ? Deum relinquere , & confectari creata duo sunt illa mala , quorum congeriem Dominus acerrime execrabatur in populo suo : *Duo mala fecit populus meus* . Obstupescite Cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer , aperire illas , & super terram malorum diluvium effundite. Nonne & ipsi eorumdem criminum nomine tenemur , quæ Dominus exprobrabat populo suo ? *Duo mala fecit* . Insipientes illi mandatis Dei sui præferebant amicitiam Assyriorum , aliarumque gentium infidelium, quæ illis perennia erant idololatriæ causa . Nos autem nonne Filii Dei præceptis præferimus mundi placita , quæ nobis sunt peccatorum origo ? Heu ! quantum hoc scelus est ; quod Creator contemnatur , viles , autem creaturæ conquiruntur! *Obstupescite cœli super hoc* . *Pater Segneri in Meditationibus*, *Tomo tertio*.

Jer. 2.

Relinquere Deum, ut creatuis ad hæreas, idem est ac aquæ vivæ fontem contemnere ut tibi luteolentam effodias cisternâ. *Psalm.* 35. *Isaiæ* 40.

Creata si cum Deo conferantur , secundum Jeremiæ Prophetæ comparationem id sunt , quod cisternæ cum aquæ viventis fonte collatæ . Cisternis modicum inest aquæ ; hanc etiam aliunde mutuantur ; fons autem aquis ipse , semperque recentibus manat . *Deus est fons vitæ*. Nationes integræ coram Deo vix sunt velut aquæ gutta, *Ecce gentes quasi stillæ* ; & nihilominus relinquimus Deum , ut ad creata confugiamus . Quæ contumelia ! Cæterum hac nostra agendi ratio licet injusta , speciosò tamen aliquo titulo tegitur gloriæ, utilitatis, aut voluptatis, quæ inde percipitur. Sed in corde suo creaturam in Dei locum collocare ; & ab ea plus sibi honoris, utilitatis , volutatis polliceri , ullane major hæc cæcitas fingi potest ? Homo enim numquam Deum lædit , nisi illum suæ ambitionis , cupiditati , vel oblectationi posthabeat . Hunc autem nocentiorem facit quod præstatio , quam tribuit Creaturæ super Creatorem , non illi innititur fundamento , nisi libidini ipsius . Peccator sibi objectum constituit , cui nihil inest meriti , eique per inanem conceptum suum eas appingit qualitates, quas se ibi reperire arbitratur . Quod adeo patet ut homo ubi a rerum creatarum amore sese collegit, ibi nil invenit , nisi vacuum ingens , fictam felicitatem , & vitia , quibus deteretur . *Idem ibidem* .

Homo in statu peccati est infra nihilum. *Matth.* 24.

Mortalium omnium insipientissimi sumus, si in peccati statu aliquid nos esse arbitramur . Status hic nos infra nihilum statuit ; peccatum enim est nihilo deterius. Væ huic homini , melius erat illi si natus non fuisset. Ita reprobus cuperet se ad nihilum redigi, ut hoc pacto omnibus malis suis finem inveniret. *Nec tamen consumeretur*, inquit Job. Quemcumque igitur spiritum , quodcumque meritum habeamus , nihilo sumus contemptibiliores , si peccatores sumus . Talenta nostra Dei sunt , peccatum vero nostri ; & proprium opus nostrum . *Perditio tua ex te , o Israel , Ego autem super vis vestris*. In statu adeo misero, unum dumtaxat efficere potest , ut esse nihilo præferamus ; spes vitæ elicet emergendi ex cœno flagitiorum nostrorum ; quæ si deest , nihil nobis , quam nihilum desideraudum est. Nam frustra superbia attollimur ; nisi pœnitentiam egerimus , infernus domus nostra est , & præstat non esse , quam esse miserrimum . Igitur habita nostri ratione S. Pauli Apostoli verba verissima inveniuntur : *Si quis existimat se aliquid esse , cum nihil sit , ipse se seducit*. *Pater Segneri in Meditationibus Tomo* 3.

Job 20.

Osee 13. Ezech. 36.

Ad Gal. 6. 3.

Peccatum mortale privat hominem omnibus supernaturalibus bonis quæ illius veram gloriam constituunt.

Peccatum (semper autem loquor de mortali) , in quo concepti sumus ;) peccatum inquam , generatim nos exuit omnibus supernaturalibus bonis , quæ gloriam nostram verusque divitias constituunt , & quæ nos aliquo in gradu constituunt coram Deo , cujus unius judicium potest verum honorem nostrum efficere. Nam simulac lethale peccatum commisimus , licet, omnia nobis essent Sanctorum merita , licet omnes adepti fuissemus virtutes , otimaque opera fuissemus operati ; peccatum hoc est latro , qui omnia eripit, expilat, aufert, animamque nostram miseriam facit, rebusque omnibus egenam, quin reliquum faciat in nobis bonum aliquod, ex quo veram possimus gloriam percipere . Privat nos gloriosis omnibus titulis amicorum , sponsarum , & Filiorum Dei, in quorum possessionem nos adduxerat gratia ; denique nobis aufert jus , quod nobis est ad Cœlestem hæreditatem ; necnon omnia dona , habitusque supernaturales quibus anima ornatur. Humiliatio igitur a peccato sejungi non potest ; si enim bona, quibus nos exuit gloriam nostram constituunt; necesse est, ut eorum privationem opprobrium, infamia, confusio, omniaque consequantur mala , quæ huic miserrimo statui sunt inhærentia. *Recens Auctor*.

Cum agitur de præferendo perituro bono , impura oblectatione , turpi negotio voluntati , atque majestati Dei , cur non venit nobis in mentem illud Joseph : *Quomodo possum hoc malum facere , & peccare in Deum meum ?* Quomodonam fieri potest , ut adeo horribilem iniquitatem admittam, atque lacessam Deum adeo amabilem, quem veneror, & colo ? Novi dominum , cui famulor ; novi nihilum earum rerum , quæ me pertentant , ut ab illo desciscam : sentio rationem , fidemque meam , quibus condemnor . *Quomodo possum* . Numquid rationis jacturam feci ? Num fidem amisi ? Cumnam comparabo Dominum , & Judicem meum ? An in terris quidpiam est , quod efficere possit , ut bonitatum ejus obliviscar ? Qui me a justitia illius protegere poterit, si peccavero ? Non igitur omni conatu adnitendum mihi est , ne incidam in manus illius & peream ? Si illum contempsero ; jam omnem sensum æquitatis , fidelitatis , gratitudinis , Religionis abjecero : tandem enim Salvatori meo sine exceptione me totum debeo ; illius sum , & oh me beatum , si ad majorem illius gloriam me exinanire , & ad nihilum redigere possem ! *Quomodo possum hoc malum facere ?* ec. *Pater la Pesse* , *Tomo* 2.

Quid cogitare debeamus cum tentamur, ut Deum ledamus. Gen. 39.

Quamcumque afferat animæ calamitatem mortale peccatum ; non eo usque illius procedit nequitia , ut veterare possit, ne bona opera faciamus. Licet coram Deo omnibus criminibus essemus coinquinati , hoc etiam in statu licet virtutum actus elicere , Deum celere, pauperibus , opem ferre , superioribus obsequi , aliajue idgenus sexcenta præstare justitiæ , & pietatis officia, quæ ipsi obire consuevimus, imo non licet tantum, sed opus est, quia status peccati nequaquam an iis nos reddit immunes . Ita miseri sumus , ut in mortali peccato versemur ; non solum nostras pietatis exercitationes non omittamus , sed recentia quoque opera bona faciamus ? oremus jejunemus, corpus nostrum mortificemus , pauperes invisamus , uberioresque fundamus eleemosynas , quam ante, ut Deum quodammodo disponamus ad conversionis gratiam nobis largiendam . Præter ea , quæ facere tenemur, & quæ omittenda non sunt in ipso etiam statu peccati, quin recenti nos crimine adstringamus : nonne æquum est, ut per supererogationis opera conemur Dei misericordiam ciere , ejusque flectere justitiam? Ita Maria Magdalena , Publicanus Evangelicus , Centurio gratiam conversionis promeruere ; quorum exempla imitati consequi possumus gratiam vitæ immutandæ . *Pater Croiset in Asceticis*. *Tomo* 5.

Mortalisperecati status me ab operibus bonis dispensare non potest: immo eo tempore magis sunt necessariæ.

Animæ nostræ per peccatum mortale ita deformantur, ut vix valeant dignosci , cum aliquis in misero hoc statu invenitur . Homo hic creatus ad imaginem , & similitudinem Dei per mortale peccatum amittit hæc omnia divina lineamenta ; horribilis fit ante oculos Dei, objectum indignationis, & iracundiæ ipsius ; ita , ut tandem minime valeat dignosci ? Deus ipse quærit , *cujus est imago hæc* : Hiccine est homo ille , quem creavi ad imaginem meam ? Lineamenta omnia obliterata sunt . Non est animatus spiritu meo : ex quo non est amplius in statu gratiæ. Profecto homo esse nequit in deteriori statu super terram , quam cum est in peccato mortali . Licet bonis diffluas ; niteas , omnia circum te rideant ; honoribus cumulatus sis , & voluptatibus affluas ; immo in ipso majestatis fastigio, & solio refulgeas , si es in mortali peccato , miserimus es . *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus Tomo* 5.

Quæ sit deformitas animæ in peccato mortali.

Homo in peccato mortali est homo damnatus, licet dilatum sit ejus supplicium.

Homo in mortali peccato est homo , qui Dei gratia excidit , qui coram illo meritorum omnium jacturam fecit , qui dejectus est de juribus omnibus , quæ per gratiam consecutus erat , omnibus exutus privilegiis , & si in misero hoc statu de vita decedat , habiturus est inferium in domum æternum , & dolores , rabiem , atque desperationem in hæreditatem . Quænam esset aulici perturbatio , scientis se a Principe nonnisi egre , & gravate ferri ? Homo in mortalis peccati statu est objectum horroris ante oculos Dei . Si omnipotentis ira non erumpit in ipsum , merus est effectus misericordiæ , quæ justitiæ jura , & severitatem non minuit. Homo in peccato mortali reus est damnatus , & extremo supplicio afficiendus, Differtur quidem executio , ut illi gratiæ obtinendæ tempus permittatur ; sed

sed quid cogitandum est de Majestatis reo , qui cum possit gratiam hanc obtinere , in statu suo perseverat? Hæc nonne est imago nostra ? Quinam igitur erit noster , *Idem , ibid.*

Cum homo a Deo pendet omnino, mirum est, quod eumdem audeat lacessere.

Plures nobis irrogavit leges Deus , omnes sanctas , & æquas. Absolutus rerum omnium dominus , supremam in nos habet potestatem. Nos illi obsequia , & obedientiam debemus , & ita illi nosmetipsos debemus ut numini cedere valeat jus , quod habet in nos, utque ne momentum quidem cessare possimus , quominus ad illum attineamus. Cui igitur periculo se objicit peccator non obediens Deo , illum contemnens , ejusque imperata facere detrectans ? Peccatum Dei lædit imperium , auctoritatem , magnitudinem , eique omnia aufert jura , quæ obtinet in nos. Hoc efficit , ut ab illius voluntate desciscamus ; & ut mandata illius infringamus, quin eorum æquitatem, ac vim consideremus . Non ideo a culpa abstinemus , cur hoc ? quia nullo in discrimine habemus parere Deo prohibenti . Num ignoramus potentiam Creatoris , a quo esse , ac vivere accepimus ? Domini misericordiam , qui amissam nobis libertatem restituit , Supremum Judicis auctoritatem , qui de æternitate nostra judicium laturus est ? Majestatem , ac dignitatem Domini , a quo absolute pendemus ? Nemo nostrum hæc ignorat ! Quanta igitur nostræ temeritas est , cum ipsum offendimus ? *P. la Pesse* , *Tomo* 2.

Ejusdem argumenti.

Facile est assequi peccati indignitatem ex eo discrimine , quod inter Dei magnitudinem , nostramque humilitatem intercedit . Hoc sane ex durissimo corde rivos lacrymarum deberet elicere . Quid igitur Deus est , qui ab homine lædatur? Quis homo Deum lædens ? Deus est Eos supremum atque independens , qui omnia in se continet , ac nullius indiget . Homo gracilis est creatura ex se nihil habens , & omnium indigens . Quid igitur magis monstruosum fingi potest quam quod creatura nihil habens ex se , & jugiter ad Deum confugere coacta , tamquam fontem bonorum omnium , eorum egeat , audeat tamen in eum arma distringere ; Iterum dico . Quid est Deus? Quid homo ? Deus æternus , & immutabilis est ; Rex omnium sæculorum . Homo similis est vapori , qui statim ac prodiit , evanescere cœpit . Quomodo igitur homo cum infirmus , & fragilis sit , tantum habet audaciæ , ut aggredi velit , & irritare Deum , qui juxta Sancti Pauli verba , possidet immortalitatem ? Homo est tamquam vermis sub pedibus Dei : quare ergo vermis hic intumescit , ac se attollit contra Dominum per peccatum , atque tot scelera ? Quanta peccatoris temeritas est , qui tot miseriis obnoxius , in jugi necessitate divini subsidii , tamen sese fœdissimis sceleribus mancipat? Quid ipsi, cum peccatores sumus , sperare possumus ? Nisi quod Dei Justitia sceleribus nostris fatigata eo gravius ruat in caput nostrum , quo majori cum patientia præstolata fuerit , ut nos vitæ rationem immutaremus , ut nosmet colligeremur , & ad illum revertentes corde contrito , & humiliato ingrederemur pœnitentiæ viam non sine certissimo consilio justitiæ ipsius satisfaciendi. *Cardin. Bellarm. De gemitu Columbæ* .

Quantū sceleris sit aburi patientia Dei ad proprium exitium.

Verum remedium ne peccatum incidamus, est sacramentorū frequentia.

Sacramentorum frequentia numerari potest inter præsentissima media in bono perseverandi , quoniam est inexhausta gratiarum origo. Cum Sacramenta sint veluti totidem rivuli , per quos Deus nobis suam communicat gratiam, quo sæpius cum requisitis conditionibus accedemus ad illa , eo uberiorem recepturi sumus. Ita experientia magistra videmus eos qui frequentius Sanctis se reficiunt Mysteriis , plerumque alios pietate antecellere ; eodem pacto quo a sagra synaxi se abstinent, eamque fastidiunt, qui tepescere , ac in vitia ruere incipiunt. Cum enim nolint tunc resipiscere, evitant quidquid eos adducere posset in cognitionem status illius, in quo sunt; ideoque audire nolunt sibi verba fieri de sacramentis, quæ sciunt a se digne recipi nequaquam posse , nisi revertantur ad Deum . Post hæc mirum esse non debet , si qui minus roborati sunt cœlestibus gratiis, incidunt in funestissimos lapsus; cum e contra qui divinis crebro participant mysteriis digne ad Eucharisticam mensam accedentes, quotidie convalescunt, ut dæmonis insultibus validius reluctentur, magis magisque fuis imperitant cupiditatibus, & crescunt virtutibus, ac perfectione . Quorsum hoc? Quia August. Eucharistiæ Sacramentum in nobis duos gignit effectus admirabiles , *Ut in minimis minuat sensum ; & in majoribus peccatis cellat consensum* ; ut docet , Sanctus Bernardus . *Considerationes Christianæ* .

Eusef. Emissen. de Pasch.

Ipsum usu sacramentorum privatur, et ex code Salvatore, est se privare vita æterna.

Peccatum nos conjungitatur nosque placet ad ætatem usque provectiorem.

In ætatis occasu iisdem urgebimur affectionibus quibus in adolescentia fuimus agitati.

Si Sacramentorum usus adeo utilis est , ut illa pie, ac frequenter accipientes a peccatis se expediant , & ad majorem in dies perfectionis gradum attollant : proculdubio iisdem quoad fieri poterit participare debemus. Cur autem id non præstemus ? Multæ id suadent rationes ; quia recedentes ab altari , quamplurimis gratiis privamur Sacramento adhærentibus , & directe agimus contra mentem Salvatoris , qui summa bonitate ad Corporis, Sanguinisque sui mensam invitat per hæc verba: *Venite ad me omnes qui laboratis , & onerati estis ; & ego reficiam vos* . Id immo tanto ardore desiderat , ut minitetur , se nos æterna vita privaturum , nisi id fecerimus. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis . . . non habebitis vitam in vobis* . Nobis autem inde metuendum est, ut postquam vitæ nostræ spatio ad Sacramenta accedere neglexerimus, ilis privemur in morte; vel tunc illa male accipiamus , cum vix bene fieri possit , quod raro fit . Sed præter has omnes rationes , quæ nos debent impellere ad Sacramenta sæpius recipienda, nullam reperimus, quæ nos ab eorum perceptione deterreat ; nisi quod persistere volumus in sceleribus nostris; quia illæ omnes, quas passim efferimus , inanes tantummodo sunt prætextus ad cupiditates nostras regendas , *Christianæ Considerationes*.

Dicores . Dei patientiam peccatoribus novas addere vires , ut contra ipsum rebellent . Hos misericordiæ dies in dies iræ convertunt ; neque pereunt, nisi quod Deus illis tempus tribuit sese salvandi . Quæ cæcitas est , quæ hominum ingratitudo ? Numquid nequam sunt , quia Deus bonus est ? Confessio hæc humano cordi turpis est ; verum peccatores, si id possunt non confiteri , eadem abstineant. Quidam hodierna die fortasse reprobus est , qui fortasse in gloriæ sinu gauderet, si morbus , si adversa fortuna prima ejusdem scelera expiasset . Ubi primum incidit aliqua mœroris causa mussitant mortales ; an mussitabunt aliquando contra indulgentiam, qua Deus diu nostra pertulit scelera? Ne igitur nobismet pulverem offundamus ubi de divina agitur bonitate ; patientia illius bonum est, eum nos ad pœnitentiam adducit ; sed cum obstinato animo in nostra nequitia persistimus , patientia illius effectus est iracundiæ , & ultio diutini ausus , quo eamdem negleximus . Verum seu gratia sit , seu Dei ultio ; nobis semper est pertimescenda propter effectus, quos parit . *Sermo Accademie Anni* 1693.

Mortalibus senio confectis passim in morte fitum est, semper ad illud usque tempus juventutis retinere vitia, ab horum amore non cessare tunc etiam , cum iisdem obsequi per infirmitatem non licet . Voluntas non consenescit , ut corpus ; & habitus , quos contraxit , non uti decor oris, & species evanescit ; quoniam radices jaciunt, ut ita dicam , in iis studiis, quibus rapimur in malum ; eumque hæc in mortem usque perseverent; habitus insiti usque in idem tempus vigent. Voluptas fulguri similis absumit interiorem usque partem subjecti, quod ab ea possidetur , quin aliquid maneat in parte exteriori. Urit juvenem, & senem, licet externus oris eorum habitus præseferat varios caracteres , qui ipsorum ætati conveniunt . Cum anima ipsa peccati impressionem recipiat , has sentit quovis tempore, & provectior ætas corruptione hac exors non est . Quod placet annorum fluxu præterit, Græcus quidam pater ait, quod vero damnat adhuc persistit. *Remanet quod damnat, præterit quod delectat* . Abit voluptas , & adhuc vaget impudicitia. Senis capularis concupiscentia eadem est, qua arebatur in adolescentia . Verum quidem est , senem facilius illam dissimulare posse , sed multo minus potest sustinere. Plures videntur juvenes intra libidines suas in mortis lectulum incidere, & nihilominus non sine christianæ pietatis sensu obiere; eadem quippe vis qua eorum animantur flagitia, tunc mutato objecto bona eorum animat consilia ; sed raro accidit , ut senex libidinosus in morte aliquam salutis suæ certitudinem præbeat . Ut vixit, ita moritur. Corpus & anima simul languent, & perfecte cum vitio consentiunt usque ad vitæ consummationem . *P. la Pesse*. *Tomo* 2.

Quantū sceleris sit abuti patientia Dei ad proprium exitium.

Flexumque toto vitæ spatio tales sumus quales fuimus in adolescentia, tunc vero potissimum , cum data opera tales esse voluimus. Nullum quidem tempus est, quo Deo nosmet devovere non valeamus; sed non ita frequens accidit , ut qui inter sæculi flagitia a puero sese libidini mancipavit, fuscere in ipsa senectute revertatur ad Deum ; quod si cui contingit , tot ingruunt illi difficultates, ut pauciffimi eas valeant superare. Cur hoc ? Primi lapsus, primique impetus adolescentiæ cessare poterant sincero ad Deum reditu, veraque conversione. Hic habitus intemperantiæ, ac impudicitiæ mediocris labore fractus fuit, tunc cum coalescere incipiebat. Futilis hæc vanitas, ridiculæ libidines, humani respectus

respectus nullum fortasse se habuissent effectum, si mortalis eorum injustitiam, & insaniam intelligere voluisset. Hic torrens cupiditatum nondum satis intumuerat, ut insipientem hanc adolescentiam raperet: sed ætatis progressu aquæ intumuerunt, ita ut factæ sint in abyssum irremeabilem, quæ transvadari non potest. Neque arduum est causam assequi. Cupiditates quas in adolescentia cohibere negleximus, dominatæ sunt nobis; ita ut eas infringere nequeamus; cumque per negligentiam nostram in naturam abierint, inde liberari vix possumus, nisi, ut ita dicam, per essentiæ nostræ conversionem. *Idem.*

PECCATUM VENIALE,

MONITUM.

DE veniali peccato aliquid jam attigimus, cum loqueremur de fidelitate in minimis rebus servanda, ubi docuimus nihil in Dei cultu negligendum esse; quod minime prohibebit, quominus fusius hoc in loco sub diverso titulo loquamur. Stio equidem, concionatores infrequenter hoc pertractare argumentum apud populum, satis esse putantes, si concionibus suis illum a mortali peccato deterreant, atque materiam hanc Religiosis domibus, atque iis, qui pietatem profitentur reservantes. Verum cum hanc aggressi fuerimus provinciam de qualibet argumenti genere pertractandi, concionatorum erit eligere, eaque auditorum suorum statui, & captui accommodare. Quod si pauci sunt hujus argumenti sermones, plurimi tamen sunt Ascetici libri, qui satis superque copia suppeditare pluribus, iisque utilissimis concionibus possunt.

Animadverti ex auctoribus, qui argumentum hoc pertractarunt, alios in hoc immorari, ut ostendant venialis noxæ gravitatem majorem esse, quam vulgo existimetur; alios differere de illius effectibus, & pœnis, quas in hac, alteraque vita meretur; alios denique ob oculos ponere periculum, cui sese objiciunt homines in mortale peccatum decidendi, ad quod veniale viam sternit. Quamobrem ea, quacumque a nobis ibi afferentur, ad hæ tria potissimum capita referuntur.

Quemadmodum concionatores hortari debent auditores suos, ne peccata venialia contemnant, & negligant, auctor illis esset, ne ipsi hoc argumentum negligerent, neque obiter, atque leviter dumtaxat attingerent, sed quanti momenti sit palam ostenderent; neque enim solum Christiani perfectio, sed salus ipsa pendet a vigilantia, & cura, quæ levissima etiam peccata evitanda sunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti lineamenta.

I. CUM tanta sit humana fragilitas, atque tanta in malum proclivitas, constat, neminem, sine peculiari Dei ope, ab idgenus peccatis omnino sibi cavere posse; quancumque curam, & vigilantiam afferamus, plurima nobis semper elabentur; quandequidem Spiritus sanctus per os Sapientis nos admonet, justum, hoc est religiosum divinæ legis observatorem septies in die cadere. Reor autem utilissimum in paucis, quod hac in re eligi possit, argumentum esse veniale peccatum in fonte ipso, atque principio, quod aliorum plurimorum causa esse consuevit, oppugnare: videlicet in habitu, qui ubi semel radicitus ablatus fuerit, paucioru incauti committemus, scientes vero, ac volentes longe paucissima. Hanc igitur in rem ostendi potest: primo malum, quod gignit habitus qui contrahitur, & licentia, quam nobismet vindicamus venialia peccata patrandi, a mortali dumtaxat abstinentes. Secundo quam facile sit adeo periculosum habitum contrahere, nisi nobismetipsis diligentissime invigilemus. Hæ duæ sunt Concionis partes.

Pars prima. Si veniale peccatum in seipso consideratum grave malum est, & gravius, quam vulgo censeatur; quod igitur malum erit habitus in hoc peccatorum genere, si illum inolescere patiamur? 1. Efficiet, ut illa facile, sine stimulis, sine religione, qualibet in occasione, pro qualibet causa temere, & inconsulto committamus. In quem autem deplorabilem statum hæc peccatorum multitudo conscientiam non rediget? In quod salutis periculum, atque divinarum rerum injuriam? Ostendendum est, quousque evadat hæc peccatorum multitudo, quæ per insolescem hunc habitum committuntur: contra Deum quidem per irreverentiam in templis, defectum attentionis in precibus, negligentiam in officiis eidem præstandis, modicam in piis exercitationibus devotionem, modicumque in ejus cultu fervorem &c. contra proximum autem quot exigui aliorum contemptus, quot temeraria judicia, falsæ suspiciones omni fundamento carentes? Quot leves iræ, acrimoniæ, & secretæ zelotypiæ, quæ sexcentas obtrectaciunculas pariunt? Quot ultro citroque tum verba, tum facta nunciantur? Quot in conversationibus disputationes, & controversiæ, levia mendacia, irrisiones, voces parum prudentes inutilesque? &c. Quot idgenus peccata, quæ extrinsecus nunquam prodeunt, nisi per quædam indicia, quæ ipsi præbemus? quot vanitates, secretæ oblectatiunculæ, & res vanas sciendi curiositates? Quanta nostrummetipsorum existimatio; quot in opera nostra bona animadversiones, humani respectus, commodorum nostrorum perquisitiones, temporis jacturæ; quantum denique amoris proprii; &c. Quisnam enumerando posset omnes assequi species, quarum actus in infinitum usque procedunt, nisi eorum exhaurire adnitamur originem, habitum videlicet cujuslibet peccati singillatim, cujus principium est habitus generalis libere, & sine metu committendi, quidquid mortale peccatum non est; ita ut vita nostra non aliud sit, quam non intermissa series peccatorum, quæ supra capillorum capitis numerum multiplicantur. Verum quidem est, materiam hanc levem esse, ac plurimas venialium peccatorum myriades unum mortale peccatum afficere nequaquam posse: sed si eorum gravitas metuenda non est, inquit Sanctus Augustinus, metuenda sane eorum est multitudo: *Si non expavescis, quod appendis, expavesce quod numeras.* 2. Alterum malum, quod hic habitus parit, hoc est, quod impares nos facit alicui veræ virtuti exercendæ; quia optimas actiones nostras corrumpit vanitate, humanis rationibus, sui ipsius amore: & quin ex illis præmium expectemus, supplicia metuenda sunt. Prohibet, ne ullum acquiramus meritum, & modicum illud boni, quod facimus, tantum mali habet admixtum, ut vita nostra similis dici queat agro, de quo loquitur Evangelium, ubi solium prohibet, ne bonæ fruges adolescant. 3. Hic idem venialis peccati habitus serius ocyus nos in mortale peccatum præcipites agit propter rationes, quæ passim hoc in tractatu memorantur.

II. Pars altera: ostendendum est, quam facile, immo etiam familiare sit adeo perniciosum habitum contrahere. 1. Etenim cum virtutis, vitiique actus naturaliter habitum provocant, cumque veniale peccatum citra damnationis æternæ metum committatur, qui nos deterret, ne in mortalia ruamus, ideoque sine vigilantia, & præcautione, quamprimum hic producitur habitus, qui cum ad recentia committenda nos adigat, vicissim alter alterius est causa. 2. Propensio, qua proponi sumus in malum, ac scelus, efficit, ut sine ulla difficultate habitus efformetur, cum e contra non sine gravi difficultate in bono, ac virtute habitus acquiratur. 3. Veniale peccatum non æque perhorrescimus, ac mortale; quam ob causam negligentia, quæ illud evitamus, efficit, ut in eo ad mortem usque perseveremus, & sæpe etiam mortem animæ parit.

Cum

Cum veniale peccatum sit morbus animæ, pro modulo suo eosdem in hac anima parit effectus, quos morbus corporalis in corpore. 1. Illius aufert pulchritudinem, & quamvis non deleat omnino omnia lineamenta divinæ similitudinis, quæ Creator impressit, eam tamen deformat, & fœdat. 2. illam infirmat, ac potiorem virium adimit partem; itaut longe imbecillior sit, & apta minus, quæ violentis inimici tentationibus obnitatur. 3. Illam disponit morti peccati lethalis, quemadmodum corporis ægritudo via est, quæ ad sepulchrum adducit.

III. 1. Quantumvis levia sint vulnera, quæ veniale peccatum animæ infligit, illius tamen debilitant, imminuuntque vires, ita ut vix inimicis consistat. 2. Quantumvis leves hæ maculæ sint, animam coinquinant, ac speciei illius labem offundunt. 3. Quantumvis venialis hæ sint noxæ, illæ tamen in hac, alteraque vita severe punjuntur.

IV. 1. Crimina sunt, quorum habitum contrahere periculosissimum est. 2. Levia sunt crimina, quæ admajora, gravioraque committenda promptiores, & audaciores nos faciunt. 3. Crimina sunt, quæ negliguntur, sed quæ inimico salutis nostræ robur addunt, & animum.

V. Veniale peccatum est depositio, ac transitus ad peccatum mortale. 1. Quia peccator levia iterando crimina, metum abjicit, quo a gravioribus deterretur, & hoc pacto a levibus gradum facit ad gravia. 2. Quia charitatis fervore repescente vicissim tepescit erga peccatorem Deus, fusque retrahit gratias, quibus anima fulciebatur, & prohibebatur, ne in deteriora prorueret. 3. Quia dæmonis ars est, nos primum ad minora sollicitare peccata, ut deinde in graviora facilius labamur.

VI. Veniale peccatum sub duplici, eaque diversa ratione post considerari. 1. Ratione Dei, qui læditur; ubi illatæ eidem contumeliæ magnitudo ostendenda est: 2. ratione hominis, qui imbecillior fit, ac ad malo, & tentationibus resistendum ineptior.

VII. In hoc unice immorari possumus, ut venialis peccati gravitatem ostendamus. 1. Gravitatem quoad Dominum, cui famulamur, pro virili aliquam adstruentes ideam magnitudinis, potentiæ, bonitatis, ac multitudinis beneficiorum ejus; unde inferri potest; veniale peccatum, quantumvis leve videatur, esse tamen rebellionem, ingratitudinem, & injustitiam, quam erga Deum committimus. 2. Gravitatem quoad subjectum, pro quo eum lædimus; si enim de vita nostra, de bonorum, honorisque jactura ageretur, omnia sacrificare teneremur, potiusquam vel minimam noxam committeremus: multo vero magis cum de nihilo agatur; cum levem aliquam curiositatem, vel affectionem explere velimus. 3. Gravitatem quoad modum, quo eum lædimus: etenim nos hæc peccatorum genera committimus sæpe per habitum, sæpe libere, nonnumquam data opera, cum voluptate, coram Deo, sine ulla legum, & mandatorum illius observantia.

VIII. Quamvis peccata venialia mortem animæ non afferant, ubi intra ordinem, gradumque venialium peccatorum consistant: attamen triplici ratione nos in salutis nostræ discrimen adducunt: 1. Suo videlicet numero, ac multitudine, quæ Deum provocat ad iracundiam, efficitque, ut Deus suas subtrahat gratias, atque subsidia in urgentibus occasionibus, in quibus hostili tentatione superamur. 2. Affectu erga quædam peccata, & in quadam materia, quæ justum suppeditat ambigendi argumentum, utrum quod veniale dicimus, mortale sit. 3. Difficultate, qua nosmet intra venialium peccatorum fines continere possumus, quin eos transilimus cancellos, qui venialia a mortalibus discriminant.

IX. Tria in venialibus peccatis maximopere sunt metuenda. 1. Eorum numerus, & multitudo, cum sine metu, & data opera agglomerantur; Deus enim suas subtrahit gratias, atque auxilia, prout peccata multiplicantur. 2. Districta ratio, quæ extremo judicii die erit reddenda: *De verbo otioso rationem reddent in die judicii.* Matth. 12. 3. Vis, hoc est impressio, quam faciunt in nobis: nos infirmant, efficiuntque, ut in periculosis occasionibus superemur.

X. Pro argumento, ac partitione concioni assumi potest duplex hæc veritas quam solidis probare argumentis facillimum est.

Prima est; difficillimum esse, in gravia peccata non labi eum, qui levia contemnit. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Eccli. 19.

Altera; qui vel levia timet crimina, nunquam in majora decidere.

XI. Veniale peccatum efficit, ut magna amittamus bona, singularem Dei protectionem, blanditias & consolationes Dei. 2. Magna nobis in hac, alteraque vita mala, pœnasque adfert. 3. Ad graviora etiam disponit, videlicet ad mortale peccatum, quod reaple malorum omnium est maximum, & reliquorum origo.

Quemadmodum verum est dicere, veniale peccatum medium esse inter summum malum, quod peccatum mortale est, & reliqua mundi mala; tres inde veritates inferri possunt, quæ justum ejusdem metum nobis parere possunt. XII.

Prima est, quod cum inter duos hosce terminos medium teneat, ideo post mortale peccatum, maximum est, quod inveniri possit, malum; quod illius nequitiam, & gravitatem nobis ostendit.

Altera est, quod transitus est ab uno ad alterum, tanquam via, quæ inter duas interjacet urbes, ideoque earumdem est communicatio. Quod nobis ostendit, cuinam periculo nosmet objiciamus, illud sine ulla præcautione committentes.

Tertia denique; quod si minus est integra animæ separatio Dei, uti est mortale peccatum, quod absolute infringit amicitiam, quam ille nobiscum contrahere dignatur; saltem ostaculum est gratiis, & favoribus ejus, prohibetque, ne arcto illi vinculo adhæreamus, quemadmodum, quidquid inter extrema duo locum tenet, prohibet, ne mutuo tangantur; quod perniciosissimos ejusdem effectus ostendit. *Ex Auctore sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta tom. 3. argumentorum particularium.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas concionum structuras exornandas.

SAnctus Augustinus *tract.* 12. *in Joannem* levia peccata guttis aquæ comparat, quæ multiplicatæ ingentes fluvios componunt, & arenæ granis, quæ opprimunt, cum in cumulum glomerantur. Sancti Patres.

Idem *in Epist.* 12. *ad Selencianum* iisdem comparationibus utitur.

Idem *lib.* 50. *Homil.* 50. ostendit, quantum displiceant Deo hujusmodi peccata.

Idem *l. de Sancta Virginit.* docet, neminem levibus peccatis, quæ nostram fallunt vigilantiam, immunem esse.

Idem *l.* 2. *de peccatorum meritis, & remissione* hoc ipsum ostendit, & fusius adfert rationes.

Idem *in Psalm.* 39. Hæc explicans verba: *Super capillos capitis mei multiplicata sunt iniquitates meæ*; ait hujusmodi peccata numerari non posse; tantus eorum numerus est.

Idem *in Enchrid. l.* 8. *cap.* 79. docet, non deesse peccata, quæ levia videntur, & in oculis Dei magna sunt.

S. Gregorius *Pastor.* 3. *part. admonit.* 34. ostendit venialia peccata sæpe gradum esse ad mortalia; & quanam vigilantia evitanda sint.

S. Gregorius Nazianzenus *in Orat. de fuco* ostendit levia in religionis crimina magis deformia videri, quam gravia in sæcularibus.

S. Bernardus *serm. de triplici custodia* hoc ipsum docet.

Idem *in Serm. de eo, quod legitur in Job, in sex tributationibus &c.* ostendit, quanam severitate in altera vita punientur peccata venialia, quæ in hac expiata non fuerint.

Idem *Serm.* 1. *in Conversi. S. Pauli* ostendit peccata, quæ data opera committuntur, & in quibus corrigi nolumus, blasphemias esse contra Spiritum Sanctum.

S. Basilius in oratione *de Peccato* fusius probat, quædam peccata, quæ levia a nobis creduntur, coram Deo esse gravia.

Idem homilia septima ostendit difficultatem sanandi eum, qui credit, & dicit, se venialia tantum peccata committere.

S. Hieronymus in epistola, qua amicum quendam in divinæ legis scientia erudit, docet, superbiam, & præsumptionem esse levia peccata negligere; & eorum adfert exempla, qui in hac vita severe ob eadem puniti fuerunt.

S. Ephrem *tract. de Virtutibus, & vitiis C. de intemp.* etiam atque etiam hortatur fratres suos ad levium criminum fugam.

S. Chrysostomus *Hom.* 12. *in cap.* 7. *ad Rom.* ostendit artem non decidendi in gravio peccata esse evitare minora.

Idem *Hom.* 8. *in primam epist. ad Corinth.* ostendit periculum, quod minimorum criminum negligentiæ adjacet.

Idem *Hom.* 60. *in Genes.* loquitur de pœnis, quibus levia peccata in altera vita puniuntur.

Casa-